BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5, 14
54

Ex Bibliotheca
PP. Coll. Rom.
Societ. Jesu

67-B-31

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

# PLATO IN TIMÆO.

Ἐὰν οὖν, πολλὰ πολλῶν εἰπόντων…………………
μὴ δυνατοὶ γιγνώμεθα πάντῃ πάντως ἂν τοὺς αὐτοὺς αὐτοῖς ὁμολογουμένους καὶ ἀπηκριβωμένους λόγους ἀποδοῦναι, μὴ θαυμάσῃς, ἀλλ' ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχόμεθα εἰκότας, ἀγαπᾷν χρὴ· μεμνημένον ὡς ὁ λέγων, ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρώπινον ἔχομεν· ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους πρέπει μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν. h. e.

*Si ergo, quum multi multa dixerint …………
non poſſimus per omnia rationes harum rerum ipſis conſentientes & accuratas reddere, ne mireris. At ſi certe non minus veri ſimiles quam quiſquam alius afferimus, contentum te eſſe oportet; memorem & me qui dico, & vos qui eſtis judices, humanam habere naturam. Itaque ſi de hiſce veri ſimilem fabulam acceperitis, decet vos nihil amplius quærere.*

Digitized by Google

# JOANNIS ANTONII
## VULPII,

Publici Philologi ac Rhetoris in
Gymnaſio Patavino,

# DIVINATIO

In Diptychum eburneum Vaticanum,

*Olim vero Eminentiſſimi Cardinalis*

# ANGELI MARIÆ
# QUIRINI,

EPISCOPI BRIXIENSIS;

Ad rem uxoriam, ut videtur, pertinens.

EDITIO TERTIA,

Prioribus auctior & emendatior.

ROMA

PATAVII. CIƆIƆCCL.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

## CANDIDIS LECTORIBUS.

DIvinationem quam ſcripſimus quinquennio ante in Diptychum eburneum Vaticanum, olim Quirinianum, ut obſequeremur & gratum faceremus Viro Principi, enixe a nobis id petenti; emendatam & auctam vobis exhibemus, candidi Lectores. Hæc bis adhuc edita, Romæ primum, deinde Venetiis, in editione præſertim Veneta, negligentia typographi, multis maculis fœda & inquinata comparuit. Nunc addimus pauca quædam, & ut a prioribus internoſcantur, uncis includimus. Id etiam volumus neſcii ne ſitis, Virum humaniſſimum, Comitem Hannibalem de Abbatibus Oliverium, nobilitate pariter ac litteris illuſtrem,

quem honoris cauſſa nominamus; quum de ſua memorati Diptychi explicatione ſollicitus eſſet, noſtram, libello Italice ſcripto, ac typis divulgato, reprehendiſſe ac refutare voluiſſe, tamquam abſurdam, & minus probabilem. An vero mirum fuerit, ſi quorum cogitatis non favemus, iis viciſſim noſtra non placent? Tota res in levi conjectura & ſuſpicione poſita eſt: nihil certi habet, nihil explorati. Luſimus operam (ſit ſuus honor veritati) quicumque in obſcuro problemate expediendo ad hanc diem verſati ſumus: ludent, qui ſequentur. Quemadmodum enim tam diverſæ philoſophorum de rerum natura ſententiæ, ſatis oſtendunt, eam comprehendi nullo modo poſſe; ita hujuſmodi monumenta, quibus viri docti tam varias explicationes accommodare ſtudent, ut ſinguli ſperent ac jactent, ſe rem acu tetigiſſe, a nemi-

mine: ſatis explicata jacere neceſſe eſt. Niſi forte qui tabellas confici olim juſſerat, vel artifex qui confecit, rurſus exſiſtat, & quid ſibi voluerit, curioſum aliquem doceat. Ceterum, quæ noſtræ Divinationi objecit Clariſſimus Oliverius, docta quidem ſunt, neque ſcriptorum veterum teſtimoniis deſtituta; non tamen reſponſioni nullum locum relinquunt. Sed modus tandem eſt adhibendus: nobiſque ad certiora & utiliora tranſeundum. Quod vero idem Vir nobilis, & antiquitatis peritus, nobis ingenii laudem & eruditionis benigne tribuit, quamvis hoc merita & vota noſtra longe exſuperet, libenter & grato animo accipimus: ſed Opuſculum hoc noſtrum ob ſollertiam tantummodo, multiplicemque doctrinam, non ob certam veritatis inventionem, legentibus commendatum eſſe volumus. Fiduciam, ſupercilium, auctoritatem

fortioribus ingeniis concedimus: nos timidos & verecundos natura genuit; qui, ne abripiamur procella, quod ait Venuſinus, humi ſerpimus, & ignominiæ periculum nonnullo etiam gloriæ diſpendio devitamus.

COR-

# CORTONENSIS
## ACADEMIÆ
## SODALIBUS CLARISSIMIS
# ANGELUS MARIA
## QUIRINUS
### S. R. E. Cardinalis Bibliothecarius.

ROMA

*II ipſi grati animi ſenſus, quos duobus & amplius ab hinc annis Regiæ Academiæ Pariſienſi Inſcriptionum, & bonarum literarum teſtatus ſum in Epiſtola ad eruditiſſimos ejuſdem Sodales, quorum in numerum ex ſingulari ipſorum benignitate adſcitus fueram, meo nunc in pectore quodammodo ( ut Terentii verbo utar ) reintegraſcunt, dum Epiſtolæ hujus ad Vos, Viri Clariſſimi, conſcribendæ argumentum mihi præbet parilis in veſtram iſtam Academiam cooptatio, atque inſuper delatus mihi ejuſdem Principatus, ſuffragiis veſtris tenuitati meæ immodice faventibus. Æque enim gaudendum mihi eſſe video, quod uterque Cœtus iiſdem ferme de cauſis, iiſque memoriæ meæ jucundiſſimis, adductus fuerit ad ſtudia mea, utpote ſibi ante multos annos coram comperta, nupero judicio ſuo mirifice honeſtanda. Initam ſiquidem a me, dum Pariſiis morarer, conſuetudinem cum præſtantiſſimis iis hominibus, quorum ea tempeſtate eruditio Regiam illam Academiam præter modum exornabat, in cauſa fuiſſe, Epiſtola mea illa jam prodidit, cur qui eoſdem excepe-*

*runt,*

*runt, eruditionis ergo & ipſi admodum celebres, ſedem mihi in eorum Parnaſſo humaniſſime decreverint. Annon pariter reputem, aditum mihi ad inclytæ* CORTONENSIS ACADEMIÆ *ſubſellia paraſſe haud diſſimilem neceſſitudinem, quæ me Etruſcæ literaturæ principibus devinxit, tribus iis luſtris, quibus ante aditas Gallias, regioneſque alias ultra montes, Florentiæ ſubſtiti, totus literarum ſtudiis occupatus, eiſque veluti involutus? Itaque Salvinium, Magliabechium, Bonarotium, Magalotium ( eos tantum nomino, quorum præ cæteris familiaritatem mihi in ea Urbe conciliavit fervor ille meus ) confidenter affirmabo, ſtudia mea haud minus Cœtui veſtro commendare idoneos fuiſſe, quam a Renodotio, Boivinio, Dacerio, Turellio ( ſplendida hæc Pariſienſis Academiæ, dum in ea Urbe agerem, lumina ) ſucceſſoribus ſuis commendata fuiſſe prædicavi, illorum vocis ex Elyſiis campis emiſſæ præconio. Quid, ſi etiam tuebor, honorem, qui ex Pariſienſi commoratione in ſtudia mea redundavit, magna ex parte deberi luſtris illis a me in Etruria tranſactis, quippe quæ effecerint, ut literaria ſupellex florenti ætate iſthic a me comparata, eam mihi, e Monaſticæ Academiæ ſeptis, & umbraculis in apertum campum, in regiones ſcilicet tranſmontanas, proſilienti, Gallicæ literaturæ procerum gratiam adjunxerit, quæ illuſtres eorum ſucceſſores ad Apollineæ, qua & doctæ eorum frontes decorantur, hederæ honorem liberaliter mihi deferendum excitaverit?*

*Priſcis igitur officiis, quæ erga me diſcendi cupidiſſimum Florentiæ abundarunt, quum novum, & maxime honorificum ab inſigni veſtra Academia ſuperioribus menſibus acceſſerit, grati, quos profiteor, animi ſenſus me in præſens exſtimulant, ut debitam vobis gratiarum actionem hiſce literis ſolenniter exſolvam, adjungamque præterea ad eoſdem magis magiſ-*

*que*

Digitized by Google

*que declarandos munuſculi genus aliquod, ei eruditioni conveniens, qua eandem Academiam excellere nemo in dubium revocabit. Id autem quum dixerim, ſtatim intelligitis, non quidem ex ingenii mei, quod ſentio quam ſit exiguum, ſed ex alieno quopiam locuplete fundo depromendam mihi fore reconditæ alicujus antiquitatis inſignem explanationem; quandoquidem veſtrum omnium egregia laus eſt, aſſidue ac diligentiſſime vacare optimæ frugis lucubrationibus ad doctæ antiquitatis latebras detegendas in lucem proferendis. Opportune autem ad hanc rem in manibus habeo Syntagma quoddam a Viro ejuſdem literaturæ callentiſſimo compoſitum, quo vetuſtiſſimi Cimelii, mea cura ab interitu & oblivione vindicati, interpretationem eſt aggreſſus, poſtquam in eadem præclariſſimi Antiquarii peritiæ ſuæ experimentum feciſſent. Cimelium dico, binas eburneas tabulas, quarum olim poſſeſſor Paulus II. Pont. Max. eruditarum ejuſcemodi deliciarum ſtudioſiſſimus. Virum dico, Jo: Antonium Vulpium, Humaniorum Literarum in Patavino Lyceo ſumma ſemper cum laude commemorandum Profeſſorem. Iſte ſuum illud Syntagma mecum uno & amplius ab hinc anno humaniſſime communicavit, imo mihi ipſi inſcripſit; quod ut primo accepi, diligenter perlegi, miratuſque immenſam hominis eruditionem, cæterum mihi ſat bene compertam ex aliis ejuſdem fœtibus, repoſui ipſum paulo poſt in earum ſchedarum ſcrinio, præ quibus vel aurum mihi ſordeſcat. Quum autem idem diutius ibi otioſe deliteſcere jam ægre ferre inciperem, quænam aptior, & commodior mihi præbere ſe poterat occaſio, in dias luminis auras typorum beneficio illud efferendi, quam ut judicium veſtrum ſubiret? Judicium, inquam; nec enim dubito, Vulpium ipſum, ceu oraculum ex Clarii Dei adytis emiſſum, habiturum quidquid de ſua interpretatione Cortonenſis Cœtus veſter pronunciaverit.*

*rit. At una ſimul confido, eandem vobis viſum iri vel ipſo Oedipo dignam. Profecto Oedipi acuto, callidoque ingenio præditus ſit oportet, cui aliquid ſi non veritati, ſaltem veriſimilitudini conſentaneum proferre poſſe contingat in re, æque ac ænigmata, & ſphinges, obſcura, atque involuta. Propterea de opera meo rogatu a ſe navata modeſte admodum ſentiens Vulpius, fœtum ſuum* Divinationem *inſcripſit, ſtatimque in Epiſtola ad me data profitetur, ſe alienas conjecturas labefactare aggreſſum, viros tamen illuſtres earum auctores debita ipſis laude non fraudare, deinde in ſua ſententia proponenda ac ſtabilienda nihil a ſe afferri certi, & explorati.*

*Tandem, Clariſſimi Sodales, a vobis poſcam, ut oculos in eam Vulpianæ Divinationis partem intendatis, qua palam oſtenditur, ἀνάγλυπτα mea, quantivis pretii, antiquum eſſe opus, neque ſæculis hiſce poſtremis ad veterum operum imitationem elaboratum; nec rudem architecturam quidquam obſtare, quominus eorundem vetuſtatem certam, & compertam habeamus. Gratulandi enim mihimet ipſi ex hiſce Vulpii verbis juſtam me habere cauſam quiſque facile agnoſcet, qui lecta mea Epiſtola ad Clariſs. Gorium Romæ data* IX. *Januarii* MDCCXLIII. *me ea in re Vulpio præiviſſe deprehenderit.* Raro admodum ( *ait iſte* ) pictorem, aut cælatorem invenias ita ſollertem, atque ἀμφιδέξιον, ut ἔργα ſimul & πάρεργα in tabulis ſuis eadem cura, & pari omnino arte perficiat. Sunt qui hominem ſcite exprimant, cetera levius adumbrent. Sunt qui &c. Sunt qui &c. Unicuique proprium ſtudium atque conſilium eſt; neque ab omnibus omnia æque poſtulanda. *Hiſce dictis adeo conſona in Epiſtola illa mea leguntur, ut Vulpium, potius quam ei præiviſſe, exſcripſiſſe viderer, niſi ea typis excuſa compareret in tertia Epiſtolarum mearum Decade, binis ferme annis*

*an-*

*antequam ille ſuam ad me Divinationem tranſmiſiſſet. Ibidem inter cætera recitavi celebres Horatii verſus:*

Æmilium circa ludum faber imus & ungues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis ſumma, quia ponere totum
Neſciet.

*Item ex eodem Poeta:*

Et fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare; quid hoc, ſi fractis enatat exſpes
Navibus ære dato qui pingitur?

*Exploſam a me, & a Vulpio pariter ſententiam, ariſiſſe Jo: Henrico Leichio, Lipſienſi, in Commentario de Diptychis Veterum, valde doleo, quod hominis illius erga me humanitati magnopere devinctus ſim, ejuſque eruditionem plurimi faciam. At Vulpium loquentem accipite.*

EMI-

*Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Principi*

# ANGELO MARIÆ QUIRINO,

S. R. E. Cardinali Bibliothecario, Epiſcopo Brixienſi,

## JOANNES ANTONIUS VULPIUS S. P. D.

OStenderas, Princeps Eminentiſſime, datis ad me proxima hieme litteris plenis humanitatis & benevolentiæ, tibi magnopere gratum fore, ſi cujus Diptychi eburnei, olim tui, nunc munere tuo Vaticani, viri docti plures, quum Itali, tum Galli & Germani, explicationem jampridem ſuſcepiſſent, id ego quoque, homo ingenio exiguo, eruditione modica, interpretari conatus eſſem. Quamquam igitur multitudine occupationum diſtinebar, nihilominus rebus tantiſper prolatis, ut voluntati tuæ, quæ mihi ſancta eſſe debet, obtemperarem, quid elicere conjiciendo poſſem, expertus ſum. Divinationem, ut videbis, inſtitui ( nam in hujuſmodi argumentis omnino divinandum eſt ): quæ ſi non

pon-

pondere conſiſtet ſuo, at varietate ipſa & πολυμαθεία fortaſſe delectabit. Alienas primum conjecturas ſingillatim labefactare aggreſſus, viros tamen illuſtres earum auctores debita ipſis laude non fraudavi: deinde meam ſententiam propoſui, & ſtabilivi, nihil quidem certi atque explorati me afferre, probe intelligens. Verùm, neſcio quomodo, confectum jam opus mihi placere cœpit, blandiri etiam atque obtundere ut ſe tueri, ac tenere mordicus vellem: quod ego non faciam; ſum enim, ſi quis alius, ὀ δογματικὸς, ἀλλ' ἐφεκτικὸς καὶ ἀπορητικός. Tu interea, Cardinalis Ampliſſime, nec minori virtute, doctrina, famæ celebritate, litterarum & litteratorum amore, quam nobilitate ac dignitate, munuſculum hoc meum qualecumque, quod totum tibi defero atque permitto, boni conſules, & me cultorum tuorum in grege annumerabis. Deus Opt. Max. omnia incœpta & cogitata tibi fortunet. Vale. Patavio Kal. Septembr. Anno CHR. MDCCXLIV.

RE-

RECTE itaque animadverterunt viri docti, Paridis atque Helenæ amores, ubi agitur de re uxoria, importunos, obſcœnos, nefaſtos, inauſpicatos eſſe, neque propterea ullo pacto memorandos; ſunt enim *hiſtoriæ peccare docentes*, ut Horatius loquitur Ode 7. lib. 3. Addo ego, Epiſtolas ἀμοιβαίας Ovidianas, Paridis ad Helenam, & Helenæ ad Paridem, quarum teſtimonio tantopere nituntur nonnulli, ut ad famoſæ mulieris raptum Diptychi hujus tabellas pertinere oſtendant, eorum conjecturæ omnino adverſari. Quod enim ſe agnoſcere dicunt Paridem in juvene imberbi ac nudo, libellum puellæ porrigente, quem canis paſtoritius comitetur, id vero nihili eſt, ac primo ſtatim verſu Epiſtolæ Paridis ſatis refutatur:

*Hanc tibi Priamides mitto, Ledæa, ſalutem.*

Mittit ſalutem per internuntium, ſcripta epiſtola; non ipſe apportat. Juvenis igitur ebori inſculptus, Paris eſſe non poteſt. Huic autem verſui conſentanea reſpondet Helena v. 261.

*Quod petis, ut furtim præſentes plura loquamur,*
*Scimus quid captes, colloquiumque voces.*
*Sed nimium properas; & adhuc tua meſſis in herba eſt.*

Potuiſtne apertius ſignificare, nondum Paridi copiam factam, ſecum ſermones miſcendi remotis

arbitris? Optabat ſcilicet amator nequam in conſpectum reginæ venire, cum ea ſecreto colloqui, atque intimos animi ſui ſenſus commodùm patefacere, quos in epiſtola leviter indicaſſe ſibi videbatur. hanc certe cauſſam congreſſui prætendebat. Sed neque elegans capitis ornamentum, neque regia chlamys dextero puellæ brachio ope gemmatæ fibulæ alligata, Græcarum mulierum pulcherrimæ indicia ſunt; quod Clariſſimus Baldinus putabat. Quis enim eruditorum ignorat, Lacænas ab omni luxu abhorruiſſe, miramque ſimplicitatem veſtibus, calceis, capillorum ornatu, reliquo cultu corporis prætuliſſe? Id Paris ipſe non diſſimulat in Epiſtola v. 185.

*O quoties dices, Quam pauper Achaïa noſtra eſt!*
*Una domus quaſvis urbis habebit opes.*
*Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere veſtram.*
*In qua tu nata es, terra beata mihi eſt,*
*Parca ſed eſt Sparte: tu cultu divite digna es.*
*Ad talem formam non facit iſte locus.*
*Hanc faciem largis ſine fine paratibus uti,*
*Deliciiſque decet luxuriare novis.*
*Quum videas cultum noſtra de gente virorum;*
*Qualem Dardanidas credis habere nurus?*

Hæc Horatio cauſſa fuit, cur caneret Ode 9. lib. 4.

*---- comtos arſit adulteri*
*Crines, & aurum veſtibus inlitum*
*Mirata, regaleſque cultus,*
*Et comites Helene Lacæna.*

Mirabatur Helena Paridis luxum, & comitatum, mirabatur opes peregrinas, quod nihil ſimile videret in Laconia, neque in aula Menelai; admiratio enim eſt affectio pauperum: contra qui divitiis abundant, copias aliorum non adeo magni faciunt. Quem Horatii locum accurate perpendit, atque egregie, ut ſolet, explicavit vir doctiſ-

ctiſſimus, atque ingenio plane ſingulari, Andreas Daçerius, in Commentario Gallico quantivis pretii ad eum poetam. * Durius educata fuerat Helena ἐκ μικρᾶς παρθένȣ, quam ut poſtea nupta munditiis nimiam operam daret. Nuda enim cum viris luctari conſueverat in gymnaſio: eamque ibi nudam quum aſpexiſſet Theſeus, concupivit, & primus rapuit. Paridem audiamus apud Ovidium v. 147.

*Ergo arſit merito, qui noverat omnia, Theſeus:*
*Et viſa es tanto digna rapina viro:*
*More tuæ gentis nitidâ dum nuda palæſtrâ*
*Ludis; & es nudis femina mixta viris.*

Ovidio concinit Propertius lib. 3. Eleg. 12.

*Qualis & Eurotæ Pollux & Caſtor arenis,*
*Hic victor pugnis, ille futurus equis.*
*Inter quos Helene nudis capere arma papillis*
*Fertur, nec fratres erubuiſſe Deos.*

Erunt fortaſſe qui objiciant, Homerum lib. 4. Odyſſeæ, ubi Helenam, à Troja reverſam, & conjugi Menelao reconciliatam, inducit ἰοδνεφὲς εἶρος, *violaceam lanam* colo nentem, ei argenteum calathum tribuere labiis auratis, & auream colum. Sed tunc Helena luxu Aſiatico depravata erat: præterea fuerunt hæc domus ac thalami ornamenta, non corporis. Majus negotium faceſſit locus Virgilii 1. Æneidos v. 647.

*Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,*
*Ferre jubet; pallam ſignis auroque rigentem,*
*Et circumtextum croceo velamen acantho,*



* *Helene Lacena* ] Ce mot *Lacena*, *Lacedemoniene*, fait toute la beauté de ces quatre vers, & par le moyen de cette ſeule Epithete Horace rend raiſon de la ſurpriſe & de l' admiration où Helene avoit été en voyant la magnificence & le pompeux équipage de Paris. Car les Lacedemoniens étoient fort ſimples dans leurs habits, & ils n' aimoient pas la dépenſe. Ovide dans la lettre de Paris a Helene: *Parca ſed eſt Sparte* &c.

*Ornatus Argivæ Helenæ ; quos illa Mycenis ,*
*Pergama quum peteret , inconceſſoſque hymenæos ,*
*Extulerat , matris Ledæ mirabile donum .*

Reſpondemus tamen, Jovi παντοδυνάμῳ facile fuiſſe Ledam Spartanam mulierem , quam corruperat , pretioſis muneribus locupletare ; quæ tum demum geſtare inceperit Helena quum Trojam appulit , urbem luxu perditam, & a duritie Laconum plane abhorrentem. Præterea dicimus, nobis licitum eſſe ab Ovidio , Horatio, Dacerio non diſcedere , qui Helenæ ac Spartanorum parſimoniam & ſimplicitatem tantopere inculcant.

Immo πτέρυγες ( Italice , *i gheroni* ) tunicarum quas Lacænæ mulieres gerebant, inferius conſutæ non erant , ſed ita diducebantur , ut in inceſſu totum femur nudarent ; unde Spartanæ dictæ fuerunt φαινομηρίδες. Id teſtatur Plutarchus ſub finem vitæ Numæ, cujus afferam verba . Φαινομηρίδας τε γὰρ αὐτὰς ἀποκαλοῦσιν, ὡς Ἴβυκος. καὶ ἀνδρομανεῖς ἰσοροῦσιν , ὡς Εὐριπίδης , λέγων, Αἳ σὺν νέοισιν ἐξερημοῦσιν δόμους, Γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις. quod ſane genus tunicæ muliebris in neutra Diptychi tabella compáret . Iccircó liquet , non ſignificari Spartanam. Deinde, temporum heroicorum , quibus Helena vixit, nota certa eſt, in Græcia præſertim , forma puellarum ſimplex , & fere nullo fuco , nullis artis lenociniis adjuta . Priſcas heroinas ita laudat poeta Umber lib. 1. Eleg. 2.

*Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis ,*
*Qualis Apelleis eſt color in tabulis .*

Præterea, ſi quis attentius alteram tabellam conſideret , videbit', opinor , haſtam & ſcutum non eſſe σχῆμα θαλάσσιον, & homini navigaturo minus convenire : ad eum pertinere potius qui terreſtre iter meditetur ; quo enim arma bellica in fluctibus & procellis ? Hercules certe , apud Valerium Flac-

Flaccum Argonauticon libro 1: v. 633. navi vectus nulli uſui ſagittas & clavam ſibi eſſe intelligit, coorta tempeſtate:

*Hæc iterant, ſegni flentes occumbere leto.*
*Magnanimus ſpectat pharetras, & inutile robur*
*Amphitryoniades -------*

Plane igitur conſtat, Diptychi olim Quiriniani, nunc Vaticani ὑπόθεσιν non eſſe Paridis adulterium, atque Helenæ raptum.

II. Endymionem vero a Luna ſeu Diana dilectum his tabellis exprimi non crediderim. Cur enim adoleſcens Deam ſollicitat? cur ambit? cur ſupplici libello tentat? Tradunt ſane fabulæ, Deam ipſam Endymionis amore captam, ad eum venatione feſſum, & in Latmo dormientem, cælo relicto, ultro deſcendiſſe, atque oſculari conſueviſſe. Formâ igitur adoleſcentis, non blanditiis, non epiſtolis delinita, in ejus amplexus ruebat. Quamquam ſuſpicari quis poteſt, libellum in manu adoleſcentis ad aſtrorum diſciplinam, & præcipue Lunæ, pertinere. Plinius enim libro 2. Nat. Hiſt. cap. 9. tradit, Endymionem ideo a Luna adamatum, quod varios ejus curſus primus obſervarit, & deprehenderit. Sed cetera in Diptycho non conveniunt. Nam primùm, vigilantem Endymionem inducere, adverſatur notiſſimæ fabulæ; quem a Dea conſopitum ſcribunt aliqui, ne illam cupiditati ſuæ, dignitate abjecta, indulgentem ſentiret; & cujus ὕπνον, *ſomnum* ſcilicet, ἄτροπον, *immutabilem*, *perpetuum* vocat Theocritus Idyllio 3. Nudum præterea venatorem effingere, ſtolatam Deam, minus conſentaneum eſt. Occurrit illud Propertii ex Eleg. 12. lib. 2.

*Nudus & Endymion Phœbi cepiſſe ſororem*
*Dicitur, & nudæ concubuiſſe Deæ.*

Quid autem habet figura muliebris, unde cogno-

ſcamus, eam Lunam vel Dianam eſſe? Nulla in capite apparent cornua; abſunt arcus, pharetra, faces, quales in lapidibus, gemmis, & nummis antiquis huic Deæ tribuuntur. Edicit Callimachus Hymno in Dianam v. 264.

Μηδέ τινα μνᾶσθαι τὴν παρθένον. οὐδὲ γὰρ Ὦτος,
Οὐδὲ μὲν Ὠαρίων ἀγαθὸν γάμον ἐμνήστευσαν.

*Nemo item ambiat hanc virginem: neque enim Otus,*
*Neque Orion bonas nuptias appetiverunt.*

Videlicet male ceſſerat Oto atque Orioni, qui Dianæ virginitatem imminuere, eamque ſibi matrimonio copulare aggreſſi fuerant. Si quid igitur Diana virgo, hoc in genere, mortalibus umquam largita eſt, ſponte largita eſt, animo tantum ſuo obſecuta. Quod autem in altera Diptychi tabella juveni ſcutum apponitur, id ab Endymionis fabula abit quam longiſſime, ut non agnoſcas eumdem eſſe. Ceterum Cupido apud Lucianum in Dialogis Deorum ait, ſe numquam Dianæ appropinquare; quod eam intentam venatui, καὶ φεύγουσαν ἀεὶ διὰ τῶν ὀρῶν, *ſemper fugientem per montes*, aſſequi nullo modo poſſit. Dixerit fortaſſe aliquis, Lunam a Diana accurate diſtinguendam; quandoquidem illam corruptam, & quinquaginta filiorum matrem, hanc perpetuo virginem legimus. At ſæpius confunduntur; immo Dea una, duo nomina habentur; fruſtra enim a fabulis conſtantiam requiramus.

III. Porro ſuſpicati ſunt aliqui, Cybelen, quæ & Tellus, & Magna Mater, & Mater Idæa, & Ops, & Rhea, & Berecynthia, & Dea Peſſinuntia olim vocata ſit, ipſique cariſſimum Atyn, Phrygium paſtorem, in his tabellis, ſaltem in priore, exhiberi. Eos, credo, in hanc ſuſpicionem perduxit adoleſcens formoſus, amputatis, ut videtur, genitalibus; quam τῶν αἰδοίων exſectionem hu-

hujus Deæ ſacerdotes, Galli & Corybantes appellati, furore ac ſuperſtitione inſtincti pati ſolebant. Liber etiam quem ſiniſtra manu juvenis attollit, fortaſſe fuerit liber myſteriorum, certis quibuſdam verbis & ſolennibus conſcriptus, in quæ verba jurarent qui ſacris impuris initiabantur, & ſe religione illa turpiſſima obligabant. Silentium quoque ab initiatis ſervati ſolitum, non obſcure ſignificare videtur mulier labium inferius adoleſcentis digitis comprimens. De hoc tacendi ritu Virgilius lib. 3. Æneidos v. 111.

*Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,*
*Idæumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris.*

Debili tamen conjecturæ ſuffragari non poſſum. Nam præterquamquod inſani & ſemiviri, ſi ſculpantur in ebore, ac muneri mittantur, nuptiarum & amorum felicium minus apta exempla ſunt; figuræ Diptychi ſignis & argumentis carent quæ in Atyn & Cybelen optime conveniant. Matrem Deorum fingebant veteres non puellari quidem facie, ſed quæ παρακμὴν præferret, ſeu ætatis maturitatem. Noſtræ autem tabellæ virgunculam exhibent, atque in ipſo flore. Pudor deinde nimius, oculi non hilares, non procaces, non arguti; ſed compoſiti, & verecunde in gremium dejecti puellam ſignificant amoris adhuc rudem, quæ ſe flagitium committere exiſtimet ſi cum mare colloquatur. Cybele autem, quod mater eſſet, immo avia & proavia, confidentiæ ac ferociæ plena fuit. Abeſt etiam ornatus qui Cybelen deceat: ubi enim, quæſo, corona turrita? hac tamen præcipua nota Berecynthia dignoſcebatur. Servius ad librum 10. Æneid. v. 254. *Civitates turritæ, quas terra gerit; unde cum turrita corona mater Deûm pingitur.* Ubi leo, inſigne alterum? ubi pinus, quæ in ſacris ejus colebatur? Atys vero, muliebri ve-

ſtimento indutus, non omnino nudus, fingi debuit. Nam ſemiviri Matris Deûm mulieribus potius quam viris accenſebantur; & virili veſte depoſita femineam ſumebant. Propterea Catullus Carm. LXII. Gallas idemtidem eos appellat, & de Atyne evirato loquitur tamquam de femina. Phrygium Cybeles amaſium, cum veſtitu ſuæ gentis, & braccatum quodammodo præfert marmor vetus apud Boiſſardum Tomo 3. Antiquit. Tympanum præterea, vel cymbalum, vel tibia buxea debuit affingi adoleſcenti, ſi Atys a Cybele dilectus exprimendus erat. His enim organis muſicis Galli ſemper utebantur, quæ mirum in modum Deam oblectabant, & ejus quondam crepundia fuerant. Omitto in re manifeſta teſtes non neceſſarios. Quum igitur in Diptycho hæc omnia deſiderentur, iccirco affirmari poteſt, ad Atyn & Cybelen figuras propoſitas non pertinere.

IV. Deinceps videamus, an Veneri, & Adonidi quod in his tabellis delineatum eſt, accommodari poſſit, nec ne. Profecto juvenis *καλός τε, μέγας τε*, *talos a vertice pulcher ad imos*, gracilis, nudus, venabulum dextra tenens, cane appoſito, heroem illum ex nefario Cinyræ patris cum filia Myrrha concubitu ſuſceptum, Veneris delicias, primo aſpectu ſignificare poſſit. Procerâ ſtaturâ eſt, qualis in adoleſcente laudatur: docet enim Hippocrates ipſe aphoriſmo ultimo ſectionis alterius, *μεγέθει σώματος ἐνηβᾶσαι, ἐλευθέριον (εἶναι) καὶ οὐκ ἀειδές*. *in procero corpore juventutem exigere, liberale eſſe, nec indecorum*. Nudus effingitur, quum ad membrorum elegantiam apertius oſtendendam, tum ut expeditus in venando ſit. *Ἐνδρομίδας* tamen gerit, aptos currentibus calceos, *ne* ſcilicet *duri ſentes, neve aſpera lædat Glæba pedes*. Canis & venabulum, quo ſtudio is maxime teneatur, ſatis de-

declarant. Videtur autem a Dea mœrente, animique dubia veniam diſcedendi petere. Sed quid ſibi vult libellus in ſiniſtra manu? Cur adoleſcens non Deam potius alloquitur, oſculatur, amplectitur, mutui amoris fiduciâ? Cur virilibus caret? nondum ſane in aprum inciderat θανατηφόρον, a quo vulnus in ea parte corporis acciperet. Sic enim Ovidius lib. 10. Metamorph. de morte Adonidis v. 710.

*Forte ſuem latebris, veſtigia certa ſecuti,*
*Excivere canes; ſilviſque exire parantem*
*Fixerat obliquo juvenis Cinyreïus ictu.*
*Protinus excuſſit pando venabula roſtro*
*Sanguine tincta ſuo: trepidumque, & tuta petentem*
*Trux aper inſequitur: totoſque ſub inguine dentes*
*Abdidit; & fulvâ moribundum ſtravit arenâ.*

Idem poeta lib. 3. Amorum Eleg. 9.

*Nec minus eſt confuſa Venus moriente Tibullo,*
*Quam juveni rupit quum ferus inguen aper.*

Tradunt quidem οἱ μυθογράφοι, ut animadvertit Clariſſimus Gorius, ἀνδρόγυνον fuiſſe Adonidem: at hic neque mas, neque femina eſt. Quod autem pertinet ad Venerem; minus mihi probatur, eam hic exhiberi matronali & Junonio cultu, ac pudore quodam pæne ſubruſtico; quæ ab hilaris Deæ moribus longe abhorrent. Illud etiam animadverſione dignum eſt, tradere fabulas, Cupidinem non admota face matris pectus accendiſſe, ut deperiret Adonidem; quod cernimus in tabella: verum ſagittæ cuſpide, non datâ operâ, ſed temere, ac forte fortunâ, deſtrinxiſſe. Id teſtatur Naſo Metamorph. lib. 10. v. 524. cujus auctoritas in hiſtoria præſertim fabulari magna eſt:

*Jam placet* ( Adonis ) *& Veneri, matriſque ulciſcitur ignes.*
*Namque pharetratus dum dat puer oſcula matri,*

In-

*Inſcius exſtanti deſtrinxit arundine pectus.*
*Læſa manu natum Dea reppulit. altius actum*
*Vulnus erat ſpecie: primoque fefellerat ipſam.*

Porro, quæ in altera tabella continentur, ſi referantur ad Venerem, non amores Adonidis, at Veneris cum Marte adulterium potius indicabunt. Robuſtum tamen, barbatum, lato & valido pectore Martem priſci effingebant; non tenerum, imberbem, & qui ad virginis formam prope accederet.

*Nemo eſt feroci pectoroſior Marte,*

ait Auctor Liberi Carminis Epigr. 36. Poſtremo, hæc omnia juvenibus uxores ducturis, & puellis nupturis inauſpicata & infauſta fuerint. Nam quod Gorius docte commemorat, Adonidem ſepulcris inſculptum haud ſemel conſpici, à Venere abeuntem, quæ propterea lacrimetur, amati juvenis diſceſſum ægre ferens, id vero nuptiarum lætitiæ, atque amorum proſperitati omnino adverſatur. Hoc autem Diptychum, nuptiale & amatorium eſſe volumus.

[V. Quod autem J. Georgius Wacterus, vir ſingulari doctrina, priorem Diptychi tabulam Adonidi accommodat, qui ab inferis redux afferat Veneri decretum Calliopes, cujus decreti vi Proſerpina & Venus debeant amore ipſius alternis vicibus frui, ſingulæ ſex menſibus; id, pace dixerim viri egregii, minus placet. Primùm enim, quum ſatis oſtenſum fuerit ab acutis hominibus, quorum judicium & nos libentiſſime ſecuti ſumus, duas tabellas eburneas ad unum idemque Diptychum pertinere, iccirco non ſatis eſt ſi unam tantum vel alteram fabulæ alicui vel hiſtoriæ ſignificandæ aptare ſtudeamus. Deinde, dolere Venerem quum ob rivalitatem Proſerpinæ, tum ob jacturam ἀῤῥενότητος in corpore Adonidis; quod vult

Wa-

Wacterus; duæ ſunt doloris cauſſæ inter ſe omnino contrariæ. Nam quæ luget juvenem virilitate ſpoliatum, propter quam præcipue illum amaverat, nullam ſibi deinceps rivalem in hujuſmodi amore timere poteſt. Præterea, ſi Adonis redivivus, adhuc inguinibus captus erat, quomodo poterant Proſerpina & Venus amore ejus alternis vicibus frui? Neque cauſſam ullam video, cur ſi Adonis fingatur poſtliminio ad vitam redux, non etiam pars illa rurſum vivere debeat, qua ſe quondam Veneri marem probaverat. profecto ſine hac ἀναςάσει ἢ παλιγγενεσία Calliopes decretum inutile futurum erat. ut illud mittam, Veneri gaudendum potius, quàm dolendum fuiſſe, quod Adonidem ab apro occiſum, atque ita ſibi prorſus ereptum, præter ſpem, aliquot ſaltem anni menſibus jam ſecum habere poſſet. ]

VI. Non defuerunt qui nudum juvenem, cum venabulo & cane, ad Meleagrum referrent, Œnei filium, heroem fortiſſimum, ex numero Argonautarum; apro Calydonio interfecto, Atalantæ Jaſii ſeu Schœnei filiæ amoribus, ac demum Althææ matris crudelitate, atque ipſo mortis genere celeberrimum. Horum ſententiæ blandiri quodammodo poterat habitus puellæ ſuccinctus in ſecunda tabella, quaſi ad iter cum amatore ineundum paratæ; tradit enim Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ, Atalantam, virilis animi feminam, inter Argonautas navigaſſe ad vellus aureum repetendum. Fibula etiam in ebore ſculpta, capillorum poſitus, & forma quàm huic virgini tribuit Ovidius, ſuffragari videntur. Ita enim lib. 8. Metamorph. v. 317.

*---- nemoriſque decus Tegeæa Lycei,*
*Raſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem;*
*Crinis erat ſimplex, nodum collectus in unum.*
*----*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Talis erat cultus; facies, quam dicere verè*
*Virgineam in puero, puerilem in virgine poſſes.*

Deſunt nihilominus alia ſigna potiora: illud in primis, ab Ovidio non prætermiſſum eodem loco:

*Ex humero pendens reſonabat eburnea lævo*
*Telorum cuſtos: arcum quoque læva tenebat.*

Neque chlamys, aut ſyrma, neque ſtola, umbratile matronarum indumentum, convenit puellæ venatrici, expoſitæ olim juſſu patris in ſilvis, ab urſa educatæ, & quæ altiſſimorum Arcadiæ montium vertices incoleret, omne virorum colloquium devitaret, feras curſu velociſſimo & jaculis aſſidue perſequeretur. Hæc ſcilicet procos terribiles Hylæum & Rhœcum, ex genere Centaurorum, ſagittis confectos humi ſtravit: hæc ſuem Calydonium vulneravit prima; ob id capite feræ, virtutis nimirum præmio, ac tamquam opimo ſpolio, a Meleagro donata. Κορικῦ τι, ϗ ῥαδινῦ ὐδὲν εἶχεν. ὐ γὰρ ἐκ θαλάμυ προῄει, ὐδὲ ἦν τῶν ὑπὰ μητράσι, ϗ τίτθαις τρεφομένων. *Puellare aut ſolutum nihil quicquam præferebat. neque enim de thalamo prodierat: neque erat ex earum genere quæ vel a matribus, vel a nutricibus aluntur.* Utor verbis Æliani ex capite 1. lib. 13. ποικίλης ἱϛορίας, ubi accurate puellam deſcribit, atque in deſcriptione ſibi placens, rhetorum & ſophiſtarum myrothecia conſumit. Vix autem ſe cuiquam conſpiciendam Atalanta offerebat: eam tantummodo in tranſcurſu, inſtar fulguris, aut ſtellæ trajicientis, nonnumquam cernebant, dum venationi operam daret: ſtatim vero in quercetis & fruticetis latebat. Propertius iccirco eam ſævam & duram vocare non dubitavit Eleg. 1. lib. 1.

*Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores*
*Sævitiam duræ contudit Iaſidos.*

. . . .

Quan-

Quantum igitur abeunt duæ εἰκόνες tabellarum muliebres ab Atalantæ indole & cultu exprimendo! Sed Melager ipſe, lacertoſus, & vultu magis truculento effingi debuerat, non tener ac delicatus, & Ganymedi ſimilis, vel Adonidi; ut in Diptycho. Poſtremo, caput apri numquam in ſtatuis Meleagri, & nummis ad eum pertinentibus omittebatur. Figuræ igitur propoſitæ non ſunt Meleager & Atalanta.

VII. Jam opiniones illorum conſideremus qui, miſſis Græcis fabulis, ex Romana Hiſtoria Diptychi argumentum eruere ac ſumere conati ſunt. Et primùm quidem in vultu formoſi adoleſcentis Clariſſimus Oliverius agnoſcere ſibi videtur oris lineamenta M. Aurelii Antonini Philoſophi Imperatoris, cui Antoninus Pius filiam ſuam Fauſtinam matrimonio conjunxit: qualia nimirum lineamenta occurrunt in numiſmatis ad eum Principem ſpectantibus. Viderit illuſtris Academia Gallica, quæ maturo admodum judicio & circumſpecto pronuntiavit, nullam figuris harum tabellarum ſimilitudinem intercedere cum antiquorum imaginibus, quæ per nummos, gemmas cælatas, & ſtatuas veteres nobis innotuerunt. Viderit celeberrimus Maffejus, qui periculoſum omnino cenſet, vagis iſtiuſmodi figuris, ac nihil certi, nihil explorati præferentibus nomina imponere. Hujus tamen ſententiæ propugnatoribus hæc a nobis animadverſa fortaſſe faverint. Si Julium Capitolinum audimus, Antoninus philoſophus *amavit pugilatum, luctamina, & curſum - - - - ; pila luſit apprime, & venatus eſt*. Scimus autem, pugiles, luctatores, δολιχοδρόμους, δισκοβόλους, & qui ludebant pila, nudos olim (verendis tantum opertis) in gymnaſio exerceri ſolitos, ut ad hæc agenda leviores ac magis expediti eſſent. Ungebantur etiam,

iam, & ceromate oblinebantur, ut facilius ex adverſarii complexibus elaberentur, & ne corpus nimio ſudore diffflueret, vel immodica διαπνοῇ; quod unctio & ceroma prohibebat. Γυμνάσιον vero apud Græcos, harum exercitationum auctores, ἀπὸ τῦ γυμνῦ, *a nudo*, ſic appellatum, res notiſſima eſt. Propterea diſſolutus ille Hiſpanus Epigr. 68. lib. 3.

*Huc eſt uſque tibi ſcriptus, matrona, libellus.*
*Cui ſint ſcripta rogas interiora? mihi.*
*Gymnaſium, thermæ, ſtadium eſt hac parte; recede.*
*Exuimur: nudos parce videre viros.*

Venabulum porro additum, ſtudium Antonini ſignificare poſſit quo is, adoleſcens, tenebatur, priuſquam ludicris omnibus abjectis, ſerio philoſophari cœpiſſet. Illud quoque hanc opinionem juverit, quod ætate Capitolini *in multis domibus, M. Aurelii ſtatuæ conſiſterent inter Deos Penates*; tantopere optimi Principis memoriam homines amabant & venerabantur. Refert autem Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. Antiqu. Rom. Penates haſtatos fingi conſueviſſe. Adoleſcentis figura demeſſis genitalibus, vel certe non apparentibus, Antonini continentiæ σύμβολον eſſe quis dixerit. Nam ipſe libro 1. τῶν εἰς ἑαυτὸν, Diis immortalibus gratias agens, illis, præter cætera, ſe debere profitetur, τὸ τὴν ὥραν διασῶσαι· τὸ μὴ πρὸ ὥρας ἀνδρωθῆναι, ἀλλ' ἔτι ϗ ἐπιβαλεῖν τῦ χρόνυ. h. e. *quod ætatis florem indelibatum ſervaverit, nec ante tempus juſtum virilitatis ſpecimen dederit, ſed ultra etiam quam opus erat, id facere diſtulerit*. Ex quibus verbis, recte conijcere poſſumus, eum uſque ad Fauſtinæ nuptias incorruptam caſtitatem ſervaſſe; atque impudicæ mulieri virum ſingulari temperantia contigiſſe: quod, iis præſertim temporibus, miraculo proximum fuit. Ob has tamen ratiunculas nolim exiſtimare, Imperatorem adeo probum ac frugi, ſpe-

cie.

cie nudi juvenis turpiter in tabella expreſſum ; qui, teſte Capitolino, *fuit a prima infantia gravis*; qui poſtea Princeps factus verecundiam & modeſtiam ita promovit, ut *lavacra mixta edicto ſubmoveret*; ea nimirum balnea in quibus viri & mulieres promiſque lavarent. Sed neque tantam ſeveritatem, quantam præfert imago muliebris in priore tabella, crediderim convenire Fauſtinæ; neque rurſus licentiam ejuſmodi, ut ad eam ſtolatam, & palla circumdatam, ſponſum ſine veſtibus adire deceret. Illud vero in primis animadvertere oportet, ſi hoc Diptychum ad rem uxoriam pertineat, ut ſane pertinet, Fauſtinam minus idoneam eſſe quæ omen præbeat felicibus nuptiis. Fuerunt enim qui traderent, ab ea filium Commodum, bipedum nequiſſimum, ex gladiatore quodam, non ex marito, conceptum: & *ſatis conſtat, eam apud Cajetam conditiones ſibi & nauticas & gladiatorias elegiſſe*; nempe nautarum & gladiatorum inſpectis corporibus, validiſſimum quemque ex illis & maxime ſalacem ſibi ad concubitum ſegregaſſe. Quæ tamen uxoris flagitia M. Aurelius aut neſcivit, aut diſſimulavit: ſiquidem illam in calce lib. I. τῶν εἰς ἑαυτὸν, appellat πειθήνιον, φιλόστοργον, καὶ ἀφελῆ γυναῖκα· *obſequentem uxorem, amantem, ac ſimplicem*. Immo laudavit mortuam, *petiitque a ſenatu, ut honores ei ædemque decernerent*: denique malis rumoribus flagravit, quod Tertullum, Utilium, Orphitum, Moderatum, qui adulteri Fauſtinæ audiebant, ad magiſtratus evexit. Quare igitur tabellæ noſtræ ad Antoninum & Fauſtinam referendæ non ſint, ſatis oſtendi.

VIII. Si vero Titi Cæſaris, qui ſtatim poſt Veſpaſianum patrem imperavit, & Reginæ Berenices amores Quirinianum Diptychum ſignificaret, pretium illi accederet a majori antiquitate. Profe-

ſecto figurarum elegantia artis & artificis excellentiam clamat: ſupererant autem Titi temporibus Auguſtæi ſæculi reliquiæ; vivebant ſtatuarii, pictores, architecti nobiles; quod vel in Amphitheatro illo Romano, juſſu Veſpaſiani ædificato, & omnium pæne ingentium operum famam ſupergreſſo manifeſte olim apparuit, & etiamnum appareret, niſi barbaræ nationes, & barbara ingenia eruditorum oculis tantam voluptatem invidiſſent. Berenice a Tito dilecta, mulier Judaici generis, patrem habuit Agrippam Ariſtobuli, matrem Cyprum filiam Phaſæli, teſte Joſepho Antiquit. Judaic. lib. 18. Deſponſa primum fuit Marco, filio Alexandri Lyſimachi Alabarchæ: non tamen ipſi nubere potuit, ante nuptialem diem morte prærepto. Deinde Agrippa Herodi fratri ſuo virginem locavit, quum Claudius Imperator, precibus Agrippæ victus, Herodem Chalcidis regem feciſſet. Poſt mariti mortem, aliquanto tempore Berenice apud fratrem Agrippam vidua commorata eſt. Sed quum rumores in dies increbeſcerent, reginam cum fratre corpus miſcere, ea, ut indigni facinoris opinionem difflaret, perſuaſit Polemoni Ciliciæ regi, ut ſe duceret; prius tamen περιτομὴν Judaicam perpeſſus. Quod conjugium breve admodum fuit: diſceſſit enim a Polemone Berenice, ob intemperantiam, ut ferunt. Poſtea videtur Hieroſolyma rediiſſe, atque ibi fuiſſe. Certe magno *animo* Veſpaſiani *partes juvit, florens ætate formaque, & ſeni quoque Veſpaſiano magnificentia munerum grata;* ut narrat Tacitus lib. 2. Hiſt. Idem ſcriptor eodem libro, non procul ab initio, loquens de Tito: *Neque abhorrebat*, inquit, *a Berenice juvenilis animus. ſed gerendis rebus nullum ab eo impedimentum*. Forma videlicet reginæ Titum juvenem capiebat; dona magnifica Veſpaſianum avarum ſe-

nem.

nem. Theſauros enim ingentes poſſidebat Berenice. Gemmata igitur fibula, & regia chlamys pendens ex humeris, huic mulieri locupletiſſimæ bene convenire poſſit: cujus etiam adamantem permagno æſtimatum Juvenalis commemorat Sat. 6. v. 155.

*--- adamas notiſſimus, & Berenices*
*In digito factus pretioſior: hunc dedit olim*
*Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori.*

Ad quem poetæ Aquinatis locum ridicula prorſus & pudenda eſt Scholiaſtæ Veteris ἀνιςορησία, qui mira ibi ſomnia comminiſcitur. Ceterum *libido* in Tito ſuſpecta erat; quod teſtatur Suetonius in ejus Vita cap. 7. *propter inſignem reginæ Beronices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur.* Cum Suetonio facit Xiphilinus: Βερενίκη, inquit, καὶ τῷ Τίτῳ συνεγίγνετο. *Berenice & cum Tito coire cœpit.* Idem auctor poſtea: Προσεδόκατο δὲ γαμηθήσεσθαι αὐτῷ. καὶ πάντα ἤδη ὡς καὶ γυνὴ αὐτοῦ οὖσα ἐποίει. h. e. *Spes erat, eam Tito nuptum iri: jam enim omnia, ut ſi eſſet uxor, gerebat.* Cum Agrippa enim fratre Romam venerat, & in Palatio habitabat. De Berenice Joſephus præcipue conſulendus libro 18. 19. 20. Antiquitatum Judaicarum, item lib. 2. de Bello Judaico: ex recentioribus autem Samuel Pitiſcus in Commentario ad Suetonium. Ejus etiam mulieris & Agrippæ fratris meminerunt Actus Apoſtolorum cap. 25. ubi ea appellatur Βερνίκη. Ob hæc omnia, ſi conjecturis licentius indulgere velimus, dicere poterimus, in priore Diptychi tabella, nudum juvenem, qui Titum repræſentet, ideo nullum veſtigium τῶν αἰδοίων præſeferre, quod ſcilicet Berenice, mulier Judæa, ab homine *incircumciſo* abhorreret; ac propterea pars illa qua Titus vir erat, diſſimulari deberet: vel potius quaſi Titus reginæ polliceretur, ſe quoque paſſurum *περι-*

*ευτομίω*, ut ejus coniugio potiri poſſet ; quod antea Polemoni Ciliciæ regi contigerat . Etſi enim Romæ nihil odioſius, nihil abjectius eſſet quam Judæi, nihilominus Romanorum ſuperſtitio tanta erat, ut ex illis plures Judaicas leges obſervarent, ac, ſi diis placet, etiam circumciderentur. Videndi, præter alios, Horatius Sat. 9. lib. 1. & Juvenalis Sat. 14. Liber porro quem adoleſcens, in eburnea tabella, manu extollit, ſignificabit fortaſſe,

*Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes*,

ut verbis utar Aquinatis poetæ loco paullo ante memorato ; non ſecus ac ſi Titus promitteret Berenicæ, Judaicam religionem ſe in poſterum colere velle. Nam magni etiam duces ac reges, mulierum peregrinarum amore inſanientes, nihil illis petentibus denegare potuerunt. Ita & Cleopatra Ægypti regina, *quidlibet impotens ſperare*, ab Antonio Triumviro, ut ait Propertius lib. 3. Eleg. 9.

*Conjugii obſcæni pretium Romana popoſcit*
*Mœnia, & addictos in ſua regna patres*.

Quod confirmat Florus Epitomæ rerum Romanarum lib. 4. cap. 11. *Hæc mulier Ægyptia*, inquit, *ab ebrio imperatore, pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promiſit Antonius; quaſi facilior eſſet Partho Romanus*. Obtinuiſſet autem ab amatore id quod petiverat ; ſedes imperii Roma Alexandriam translata fuiſſet ; imperium ipſum non amplius Romanum, ſed Alexandrinum, vel Ægyptium appellatum foret ; niſi Octaviani fortuna inceptis tam turpibus obſtitiſſet. Quid multa? Salomon ipſe, regum ſapientiſſimus, ac θεόπνευστος, ut legimus lib. 3. Regum cap. 11. *adamavit mulieres alienigenas multas --- his copulatus eſt ardentiſſimo amore --- cumque eſſet jam ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur deos alie-*

*lienos*? Quæ quamquam ita ſunt, nihilominus mihi certum eſt, harum tabellarum figuris non Titum & Berenicen Agrippæ Ariſtobuli filiam, ſed quoſvis alios potius indicari. Nam in Tito fuit *oris decor cum quadam majeſtate*, ſi Tacitum audimus Hiſt. lib. 2. *forma egregia*, *&* *cui non minus auctoritatis ineſſet quam gratiæ*, ſi Suetonium in ejus Vita cap. 3. quod nummi etiam veteres manifeſto teſtantur. Contra, juvenis in Diptycho expreſſus, mollis eſt, imberbis, glaber, nulla in facie auctoritate. Deinde Titus, tantus dux, quum Berenicen amaret, non primam ætatem agebat, ſed jampridem adoleverat, & ex ephebis exceſſerat. His addi poteſt, *neque procera ſtatura*, *&* *ventre paullo projectiore* fuiſſe Titum, eodem Suetonio teſte cap. 3. Procerus autem adoleſcens noſter eſt, ac plano ventre. Poſtremo, Titi conjugium a Berenice appetitum & ſperatum, Romanis moribus infauſtum, obſcœnum, peſſimi augurii futurum erat. Iccirco nuptiis felicibus accommodari nullo modo poteſt.

IX. Ceterum, parum aberat quin aſſentirer Clariſſimi Baldini conjecturæ, exiſtimantis, Diptychum hoc nobiliſſimum commode referri poſſe ad Nuptias Honorii Imperatoris, pueri ad eam diem impuberis, & Mariæ, filiæ Stilichonis Comitis & Serenæ Reginæ: niſi quædam meæ cogitationes inferius proponendæ me aliorſum traxiſſent, & (ut ſolemus omnes nobis ipſi blandiri) cauſſa mihi fuiſſent, ut aſſenſum ſuſtinerem. Claudianus, poeta maximus, Honorii pulchritudinem miris laudibus celebrat. Novimus quidem, hoc poetas facere jure ſuo, ut ad res augendas, extollendas, ornandas, ὑπερβολαῖς utantur: ſi tamen hujuſmodi laudes in laudatum Principem nullo modo conveniſſent, aperta nimis & impudens adulatio ſtoma-

chum Honorio moviſſet. Quid, quod & hiſtorici Claudiano ſuffragantur? Honorium Theodoſio patri non mente ſolum, ſed etiam formæ ſplendore perſimilem fuiſſe, tradit Paullus Diaconus libro xv. De Theodoſio autem ita Victorinus apud Caſparem Barthium in Commentario ad Claudianum: *Fuit Theodoſius moribus & facie Trajano ſimilis, quantum ſcripta veterum & picturæ docent. Sic eminens ſtatus, eadem membra, par cæſaries*. Monumenta etiam priſca Honorium formoſum exhibent. A puero venandi ſtudioſus fuit; quod pariter Claudiànus commemoravit in Epithalamio. De ipſo enim, qui animo ſpem coniugii præcepiſſet, ita cecinit v. 5.

*Non illi venator equus, non ſpicula curæ:*
*Non jaculum torquere libet; mens omnis aberrat*
*In vulnus, quod fixit Amor.* ----

Propterea venabulum, canis, atque ἐνδρομίδες non abludunt. Cupido autem, in priore tabula, remiſſo arcu, dicere videtur illud memorati poetæ v. 117.

----- *immane tropæum*
*Rettulimus. noſtrum jam ſentit Honorius arcum.*

Sponſæ vero pulchritudinem ita Claudianus deſcribit eodem poemate a verſu 264.

*Quæ propior ſceptris facies? quis dignior aula*
*Vultus erat? non labra roſæ, non colla pruinæ,*
*Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.*
*Quam juncto leviter ſeſe diſcrimine confert*
*Umbra ſupercilii! miſcet quam juſta ruborem*
*Temperies! nimio nec ſanguine candor abundat.*
*Auroræ vincis digitos, humeroſque Dianæ.*
*Ipſam jam ſuperas matrem* ----

In altera præcipue Diptychi tabella, ubi nupta, jam ex virgine mulier, thalamum relinquere videtur, eximiam formam aſpicimus, & *ſcitum*,

ut

Digitized by Google

ut ait Comicus, *filum mulieris*: miras in vultu illecebras, miras veneres, miros affectus: niſi quod litteris traditum eſt, uxorem illam primam Honorii, florenti admodum ætate, virginem deceſſiſſe; quod propter ætatis teneritudinem virile officium Princeps nondum fungi potuiſſet. Amor vero ſine alis pares coronas duobus conjugibus offerens, illis Claudiani verſibus mire conſentit: ( v. 202. )

*Tu feſtas, Hymenæe, faces; tu, Gratia, flores*
*Elige; tu geminas, Concordia, necte coronas.*

Liber ipſe in manu adoleſcentis donum videtur, ſponſæ gratiſſimum futurum, ac, loco τῦ συμβόλυ, Mariæ ſingularem eruditionem ſignificare; de qua ſummus idem poeta. v. 231.

*. . . . exemplaque diſcit*
*Priſca pudicitiæ: Latios nec volvere libros*
*Deſinit aut Grajos, ipſa genitrice magiſtra.*

Criſpa tamen & inferne detonſa, ut videtur, coma adoleſcentis, in priore tabella, verſiculo illi de Honorio adverſatur,

*Ludentque ventis inſtabiles comæ;*

fluens enim deſcribitur ac promiſſus capillus, qualis nempe puerum id ætatis decebat. Sed hoc leve eſt. Illud gravius; figuras adeo concinnas, & affabre ſculptas, non eſſe rudis ac pæne barbari ſæculi, nimirum quarti a Chriſto nato, & poſtremis quidem annis. Ferunt enim, regales illas nuptias celebratas anno Chriſti CCCXCVIII. Non diffitebor tamen, artes imitatrices illis etiam temporibus excultas, & in pretio habitas. Ut enim taceam de poeſi; qua tunc excelluit Claudianus, & antiquiores poetas provocavit, ingenio, & inventionis ubertate nulli ſecundus; pingebant certe illa ætate, immo ſe viris principibus picturâ commendare ſtudebant. Lectarum enim virginum



BIBLIOTECA NAZ.

imagines in tabella pictæ ad principes mittebantur qui de uxore ducenda cogitarent, ut data optione, omnium pulcherrimam ſeligere poſſent. Id autem ſe facere noluiſſe, profitetur Honorius, quem ita Claudianus in Epithalamio loquentem inducit v. 23.

*Non ego, luxuriem regum moremque ſecutus,*
*Quæſivi vultum tabulis: ut nuntia formæ*
*Lena per innumeros iret pictura penates:*
*Nec variis dubium thalamis lecturus amorem*
*Ardua commiſi falſæ connubia ceræ.*
*Non rapio præceps alienæ fœdera tedæ,*
*Sed quæ ſponſa mihi pridem, patriiſque relicta*
*Mandatis, uno materni ſanguinis ortu*
*Communem partitur avum ---*

X. Ingenioſum porro commentum eſt, ſi quod aliud, viri doctiſſimi Alexii Symmachi Mazochii, nullam in ebore Quiriniano veterem fabulam vel hiſtoriam agnoſcentis, verùm in priore anaglypto mentionem tantummodo & repromiſſionem futurarum nuptiarum; quod negotium totum per ſervum aliquem tranſigi olim oportuerit. Juvenem autem in Diptycho expreſſum, tamquam internuntium & ſequeſtrum, ignobilem quemdam ſervum fuiſſe putat Mazochius, de eunuchorum peregrinorum genere: qui propterea fictus ſit a ſcalptore ſine ullo virilitatis veſtigio. Exiſtimat quoque, eunuchis heræ miniſtrantibus vix aliter quam nudis apparere licuiſſe. Hanc opinionem confirmat allatis nonnullis Claudiani verſibus ex libro 1. in Eutropium: additque, eunuchum viatorem peregre advenientem, non aliter quam nudum ad illuſtris virginis penetrale adire par fuiſſe; ut manifeſta exſectio omnem furtivæ libidinis ſuſpicionem amoveret: vel ſaltem id ſcalptori tribuendum, qui certa hujuſmodi nota eviratum ſignificare voluerit. Nihil

fa-

ſane ſollertius excogitari potuit ab homine, hoc noſtro tempore, cum paucis aliis, τῆς ἀρχαιολογίας τῆς ῥωμαϊκῆς, καὶ τῆς ἑλληνικῆς, in Italia, principatum tenente. Cujus tamen ſententiæ ipſe aſſentiri non poſſum. Primum enim, qui proxenetæ nuptiarum erant; ſeu conciliatores, interpretes, internuntii, pronubi, παρανύμφοι; dicebantur etiam auſpices; quod teſtatur Vetus Gloſſarium. Conſueverunt Romani per plura ſæcula, matrimonium contracturi, auſpices adhibere, qui auſpicia peterent. Hic mos paullatim obſolevit; ſed in locum auſpicum proxenetæ ſucceſſerunt, apud quos antiquæ conſuetudinis veſtigia remanerent, ſervato ipſo nomine auſpicum. Quod colligunt viri docti ex Valerio Maximo libro 2. Memorabilium cap. 1. Propterea ſcribit Cicero libro 2. De Divinatione: *Nihil fere quondam majoris rei, niſi auſpicato, nec privatim quidem, gerebatur: quod etiam nunc auſpices nuptiarum declarant, qui re omiſſa nomen tantum tenent*. Curabant hi auſpices, ut contrahentes profiterentur, ſe liberorum procreandorum cauſſa convenire; quæ formula in libris Juriſconſultorum vulgaris admodum ac trita eſt. Dabant etiam operam, ut quod conventum erat, rite fieret, tabuliſque mandaretur. Apud eos præterea de dote pacta fiebant & ſtipulationes. Quæ omnia honeſta miniſteria fuerunt, &, ut mihi quidem videtur, ingenuis potius aut libertis, quam ſervis hominibus magis accommodata. Potuiſtne igitur liberorum cauſſa convenientibus foedius aut infelicius auſpicium obtrudi quam ipſe auſpex eunuchus, qui amputatis prorſus genitalibus, portenderet ſponſæ ſterilitatem? Nemo neſcit, antiquos horum hominum exſectorum vel occurſum formidaviſſe ac diligenter caviſſe: tantum abeſt ut iis potiſſimum ad ſponſalia firmanda uti

 mos

mos eſſet. *Occurſu læderet omnes*, ait Claudianus de Eutropio eunucho lib. 1. in eundem. v. 123. ubi tamen ad illius quoque ſenectutem, maciem, oris turpitudinem, non ad vitium tantummodo exſecti corporis, a poeta reſpici fateor.

Ceterum, quod Clariſſimus Mazochius non diſſimulat, ſollertiſſimis antiquitatum indagatoribus ad hanc diem ignotum fuiſſe, eunuchos inceſſiſſe ac miniſtraſſe dominæ nudos; qui mos nunc primum e tenebris eruatur; id mihi etiam atque etiam conſiderandum eſt. Sordidum, ſane, ac flagitio proximum haberi debet, nudum incedere, &, non dicam honeſtæ mulieri, eique virgini, ſed etiam domino nudum apparere, nulla urgente neceſſitate. Iccirco ſi veteres hac conſuetudine utebantur (quod mihi nondum perſuaſum eſt) ruſtici & barbari fuerunt, qui ſordibus nimirum & re obſcœna gauderent. Neque locus Claudiani ex libro 1. in Eutropium v. 105. a Mazochio allatus hanc ſententiam juvare aut ſtabilire poteſt:

*--- Eous rector Conſulque futurus*
*Pectebat dominæ crines, & ſæpe lavanti*
*Nudus in argento lympham geſtabat alumnæ.*
*Et quum ſe rapido feſſam projecerat æſtu*
*Patricius roſeis pavonum ventilat alis.*

Fuerat ſcilicet Eutropius, qui ad Conſulatum poſtea ludo fortunæ pervenit, eunuchus balnearius, ſive aquarius; quod viliſſimum genus mancipiorum. In balneis autem famulos nudari concedebat ipſa neceſſitas. Multa propterea licebant lavantibus, & iis qui lavantes curabant, quæ extra balneum culpa & nota non caruiſſent. Cicero ad Papirium Pœtum Epiſt. 22. lib. 9. *Suppédit, flagitium eſt. jam erit nudus in balneo, non reprehendes*. Epictetus autem Enchiridii cap. 4. ita de balneis publicis; Ἐὰν λυσόμενος ἀπίῃς, πρόβαλλε σε-

σεαυτῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλανείῳ· τοὺς ἀποῤῥαίνοντας, τοὺς ἐνσειομένους, τοὺς λοιδοροῦντας. *Si lotum abis, propone tibi quæ in balneo fiunt; aſpergentes, incutientes, convicïantes*. Non igitur eunuchi dominabus ſuis nudi ſemper apparebant: quod apud Claudianum τὸ *ſæpe* ſatis oſtendit. Neque nudus erat Eutropius quum alumnæ ſuæ comam pecteret, vel æſtuanti ventulum faceret. Id liquet ex Eunucho Terentiana Act. 3. ſc. 5. Quum enim Chærea adoleſcens, veſte commutata, ad Thaidem pro eunucho deductus eſſet, eo conſilio, ut Pamphilam virginem, in domo Thaidis commorantem, cujus amore flagrabat, vitiare poſſet; non illam comitatur in balneum, ubi eum exui oportuiſſet, atque ita omnibus prodere ſe non eſſe quem ſimulabat: ſed indutus exſpectat dum ea lavet. deinde reverſam, & in lecto collocatam ſumto flabello frigefactat. Ipſum loquentem audiamus:

*Dum hæc mecum reputo, accerſitur lavatum interea virgo:*
*It, lavit, redit; deinde eam in lectum illæ collocarunt.*
*Sto exſpectans, ſi quid mihi imperent. venit una,*
*Heus tu, inquit, Dore,*
*Cape hoc flabellum, ventulum huic ſic facito, dum lavamus:*
*Ubi nos laverimus, ſi voles, lavato. accipio triſtis.*

Eutropius igitur, de quo Claudianus, nudus alumnæ ſuæ ſerviebat in balneo: ſumta vero iterum veſte, flabello pavonino eamdem cubantem ventilabat. Quamobrem nudus adoleſcens quem præfert ebur Quirinianum, ſi quid video, haudquaquam eunuchis accenſendus eſt.

XI. Hactenus, cur aliorum conjecturæ mihi parum probentur, quoad ejus fieri potuit, declaratum eſt. Nunc eo confidentius quid mihi ipſi de

hac

hac eadem re in mentem venerit, exponam, quod certiſſima & explorata in argumentis hujuſmodi afferre non liceat, & probabilibus contenti eſſe debeamus. Satis enim futurum exiſtimo ſi notam aliquam fabulam vel hiſtoriam ſelegerimus, cui περιστάσεις omnes imaginum quæ in ebore laudato continentur, nulla vi adhibita, accommodari poſſint. Ut autem *refellere ſine pertinacia*, *ita refelli ſine iracundia paratus ſum*.

Fateor primùm libentiſſime, doctorum virorum, qui hæc prius tractaverunt, cogitata non mediocri mihi adjumento fuiſſe, ut ad hoc quaſi convivium cum hac mea qualicumque ſymbola accedere poſſem: οὐ γὰρ ἐργώδης ἡ μίμησις κατὰ τὴν τῆς ἀρέσεως ὑφήγησιν. Deinde illud præfabor, aſſentiri me exiſtimantibus, hæc ἀνάγλυπτα quantivis pretii, antiquum eſſe opus, neque ſæculis hiſce poſtremis ad veterum operum imitationem elaboratum. Rudem vero architecturam non obſtare, quominus ejus vetuſtatem certam & compertam habeamus. Nam raro admodum pictorem, aut cælatorem invenias ita ſollertem, atque ἀμφιδέξιον, ut ἔργα ſimul & πάρεργα in tabulis ſuis eadem cura, & pari omnino arte perficiat. Sunt qui hominem ſcite exprimant, cetera levius adumbrent. Sunt qui effingendis quadrupedibus, avibus, piſcibus gloriam comparare ſtudeant. Sunt qui agros, nemora, paſcua, ſolitudines, amœnos variosque proſpectus, flores item ac fructus, litora, portus, maris tempeſtates, ædificia denique, aut rudera ædificiorum egregie ob oculos ponant. Unicuique proprium ſtudium & conſilium eſt: neque ab omnibus omnia æque poſtulanda. Quid igitur vetat, in opere antiquo, imagines elegantes, rudem, ἀσύμμετρον, barbaram, vel neglectam potius architecturam apparere? Nam quo pertineant addita conchylia, in-

fe-

ſerius explicabo. Unius autem ejuſdemque Diptychi valvæ ſunt, eburneæ tabellæ duæ, amoribus quidem, ſed caſtis, ut videtur, dicatæ, immo par legitimorum conjugum ſignificantes. Utrum verò ex eo munuſculorum genere fuerint quæ ſponſi pactis ſibi puellis mittebant, tamquam arrham & pignus futurarum nuptiarum; utrum epiſtolæ alicui, vel nuptiali carmini operiendo deſtinatæ; quis eas miſerit, cui miſerit, quo tempore miſerit, non tantum mihi atrogo, ut divinare me poſſe arbitrer. Sed antequam harum tabellarum σύμβολον & argumentum expono, de loco Juvenalis quem attulerunt viri doctiſſimi ex Pariſienſi Academia Inſcriptionum & Humaniorum Litterarum, ut ſcilicet amatoria Diptycha, figuris ornata, Conſularibus Diptychis longe antiquiora eſſe oſtenderent, ac proinde ad elegantiorem ætatem pertinere; quid ſentiam, candide aperiam. Niſi tantorum virorum auctoritas obſtaret, quorum ingeniis, doctrinæ, diligentiæ, judiciis omnia deferenda ſunt, in ſententiam Clariſſimi Baldini pedibus irem, qui *blandas* illas, *aſſiduas*, *denſaſque tabellas*, de quibus mentio apud Juvenalem Sat. *9.* interpretari mavult *epiſtolas*, *ſpiſſis verſibus*, *& prolixis ſive pollicitationibus*, *ſive blanditiis refertas*, quam tabellas figuris illecebroſis, & ad peccandum invitantibus ab artifice inſtructas, juſſu divitis impudici; quæ tabellæ proprio nomine Diptycha vocarentur. Communem quidem fuiſſe Diptychi appellationem duplicatis pugillaribus, membranis, & γραμματείοις omnibus ἐπαλλήλῳ ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένοις, ut loquitur Herodianus lib. 1. Hiſtor. non diffitemur; quemadmodum τρίπτυχα vocarentur pugillaria quorum eſſent tres πτύχες ſeu διπλώσεις; πολύπτυχα, quorum plures: at Diptycha κυρίως appellari conſueviſſe tabel-

bellas hujuſcemodi, ſacras amoribus & lenociniis, hoc vero nondum liquere mihi videtur. Nam Scholiaſtes ille vetus Aquinatis poetæ, jejunus auctor, ἀνιςόρητος ϗ ἀπροςδιόνυσος, ( quod mihi facile eſſet oſtendere, niſi ad alia potiora properarem ) cujus auctoris laciniæ nonnullæ ad nos corruptiſſimæ pervenerunt; vix boni aliquid nos docere poteſt: præſertim quum veteres illi Commentarii, primùm editi in officina Sanctandreana A. 1590. ex bibliotheca Petri Pithœi J. C. cujus editionis exemplar domi ſervo, non *Diptychis* eo loco exhibeant, ſed *clypticis*; quæ vox non nauci eſt. Criticis poſtea viſum legi oportere *Diptychis*, monente Papia in Lexico. qui Grammaticus, & ipſe nugaciſſimus, ad veterum ſcriptorum loca dubia ſtatuenda, vel ad obſcura explicanda parum idoneus eſt. Nolim tamen pernegare, impurum illum nebulonem, qui marem ſe eſſe natum ægre ferebat, potuiſſe etiam imaginibus obſcœnis mittendis Nævolum ad ſe allicere: ſed ſcalptorem præſto ſemper illi fuiſſe, qui non ſemel, at idemtidem, at ἐσημέρα nequiſſimas tabellas ſuppeditaret, nullam profecto habet ſimilitudinem veri. Moleſtum atque operoſum id fuiſſet; quum longe minore negotio tabellis committi poſſent litteræ amatoriæ. Ceterum aliquid ſimile continet vetus Epigramma πρὸς θεὸν κηπυρικόν:

*Obſcœnis rigido Deo tabellas*
*Ducens ex Elephantidos libellis*
*Dat donum Lalage, rogatque tentes,*
*Si pictas opus edat ad figuras.*

ubi opus *edere ad figuras pictas*, a munere gladiatorio ad res Veneris ſignificandas, nequiter, ſed ingenioſe translatum eſt. Quum enim quis Romæ munus gladiatorium populo daturus erat, libellum antea, vel πινάκιον proponebat, in quo tota ſpecta-

ſtaculi ratio accurate deſcripta cerni poterat: ipſa etiam gladiatorum paria, carbone vel rubricâ fingi & delineari ſolebant, ut ſcirent Quirites, ad quos ludos vocarentur. Huc ſpectant verba Ciceronis ad M. Varronem Epiſt. 8. lib. 9. *Etſi munus flagitare, quamvis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: tamen ego exſpectatione promiſſi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem*. Oſtendere munus ( ut obiter explicem Tullium ) nihil aliud eſt meâ ſententiâ, niſi libellos ac tabulas hujuſcemodi, in pilis, in columnis, in frontibus tabernarum, in publicis locis proponere, quæ muneris gladiatorii, ſive alius ſpectaculi exſpectationem populo moveant. Sed clarius ad hunc morem Horatius reſpexit. Sat. 7. lib. 2. Ibi Davus, Saturnaliorum licentia uſus, herum ſuum ſic alloquitur:

*Vel quum Pauſiaca torpes, inſane, tabella;*
*Qui peccas minus atque ego, quum Fulvi, Rutubæque,*
*Aut Placidejani contento poplite miror*
*Prœlia, rubrica picta aut carbone, velut ſi*
*Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes*
*Arma viri?*

Erant ſcilicet Fulvius, Rutuba, Placidejanus ea tempeſtate gladiatores multarum palmarum. Ovidius etiam hos libellos commemorat lib. 1. Artis Amatoriæ a verſu 163.

*Hos aditus Circuſque novo præbebit amori,*
*Sparſaque ſollicito triſtis arena foro.*
*Illâ ſæpe puer Veneris pugnavit arenâ:*
*Et qui ſpectavit vulnera, vulnus habet.*
*Dum loquitur, tangitque manum, poſcitque libellum:*
*Et quærit, poſito pignore, vincat uter:*
*Saucius ingemuit, telumque volatile ſenſit:*
*Et pars ſpectati muneris ipſe fuit.*

Petrus Burmannus, vir πολυμαθέστατος, Naſonis ver-

verba ; *poſcitque libellum* , explicat *ſponſionis chirographum* , *quo formula ſponſionis ſcripto conſignabatur* , *ut ex eo agi deinde poſſet* . Ego autem accipio de libello in quo tota ſpectaculi ſeries , nomina item ac virtutes gladiatorum pugnaturorum deſcriberentur ; quem libellum juvenes cum puellis promiſcue in Circo ſedentes ab illis interdum poſcebant . Videntur enim hi libelli non eo numero fuiſſe , ut ſpectatoribus omnibus diſtribui poſſent . Dixi , *in Circo ſedentes* , non , in amphitheatro ; nam & in Circo gladiatores interdum dabantur : ibi autem mares & feminæ confuſi ſpectabant : contra , in amphitheatro cavea ſuprema mulieribus adſignata fuerat , unde ſpectarent a maribus longe remotæ . Non diſſimulabo , *opus edere ad figuras pictas* , explicari etiam commode poſſe de architectis , qui antequam ædificium excitent , proponunt ἰχνογραφίαν & ὀρθογραφίαν futuri operis , in charta delineatam , vel etiam ex ligno , argilla , aut alia materia fictam ; quod ſpecimen ſi probetur , ei ſimillimum ædificium deinceps formant . Sed prior explicatio magis placet . Nunc a ſemita in viam .

*Denſæ* igitur *tabellæ* apud Juvenalem loco memorato , ſunt epiſtolæ tabellis inſcriptæ ; vel prolixæ , verboſæ , ὀπισθόγραφοι , non unam aut alteram , ſed multas paginas implentes ; vel crebræ , frequentes , quarum quæ ſequitur trudere atque urgere præcedentem videatur . Italice hodie diceremus , *lettere che ſioccano* ; quemadmodum Virgilius lib. 1. Georg. v. 334. *imbrem* appellavit *denſiſſimum* ; nempe continuum , non interruptum . *Verboſa & grandis epiſtola* memoratur a Juvenale Sat. 10. v. 71. Uſus tabellarum ad amores pertinentium ſane antiquiſſimus fuit : non tamen crediderim adjectas illis , niſi perraro , pictas vel in ebore ſcalptas hiſto-

ſtorias. Propertius Eleg. 20. lib. 2. hujuſmodi tabellas vocat *ſupplices*, quod earum miniſterio Cynthia ſupplicaret poetæ, cujus erga ſe amor ne frigeſceret, metuebat.

*Nec tu ſupplicibus me ſis venerata tabellis.*

Fuerunt etiam tabellæ quædam communes inter amatores, ceratæ videlicet; quas graphio exaratas mittebat juvenis ad puellam, deinde ſtilo verſo deletis prioribus notis puella novabat, aliiſque litteris conſcriptas ad juvenem remittebat. De hujuſmodi tabellarum amiſſione queritur poeta Umber elegantiſſime, ſuo more, lib. 3. Eleg. 23.

*Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ,*
*Scripta quibus pariter tot periere bona!*
*Has quondam noſtris manibus detriverat uſus,*
*Qui non ſignatas juſſit habere fidem.*
*Illæ jam ſine me norant placare puellas,*
*Et quædam ſine me verba diſerta loqui.*
*Non illas fixum caras effecerat aurum:*
*Vulgari buxo ſordida cera fuit.*
*Qualeſcumque mihi ſemper manſere fideles,*
*Semper & effectus promeruere bonos.*
*Forſitan hæc illis fuerant mandata tabellis:*
*Iraſcor, quoniam es, lente, moratus heri.* &c.

In quibus verſibus animadvertendum eſt quod ait Propertius, non pretioſas, at faciles & de vili materia fuiſſe tabellas quas amiſerat.

*Non illas fixum caras effecerat aurum;*
*Vulgari buxo ſordida cera fuit.*

Quum fortaſſe locupletes amatores, iiſdem temporibus, & eburneas tabellas ad hoc miniſterium adhiberent, & lamellis aureis affixis pretium illis adderent. Unde poſteriora ſæcula exemplum ſumſerunt parandi atque ornandi Diptycha Conſularia; de quibus Claudianus in libro de altero Conſulatu Stilichonis v. 345.

Tum

*Tum virides pardos, & cetera colligit Auſtri*
*Prodigia, immaneſque ſimul Latonia dentes,*
*Qui ſecti ferro in tabulas, auroque micantes,*
*Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen*
*Per proceres & vulgus eant ------*

Non ſolum autem Conſularia, ſed etiam Quæſtoria, & aliorum magiſtratuum, ut videtur. Quæ nimirum auro addito ornabantur ſi Principi mittenda eſſent. Teſtis omni exceptione major Symmachus Epiſt. ad Flavianum 81. lib. 2. *Filius noſter Symmachus peracto munere Candidati, offert tibi dona Quæſtoria; & ceteras neceſſitates noſtras pari honore participat. Quæſo igitur ut ejus nomine Diptycha & apophoreta ſuſcipere dignemini, qui apparatui ejus plura & præclara tribuiſtis. Præterea Domino & Principi noſtro ad referendam largitati ejus ſedulam magis quam parem gratiam, auro circumdatum Diptychum miſi. Ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus & caniſtellis argenteis bonoravi*. Verum iiſdem temporibus Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius ejuſmodi licentiam Conſtitutione ſua cohibuerunt, vetantes, ne cui, præter Conſules ordinarios, mittendi ac donandi Diptycha eburnea poteſtas eſſet: ceteros autem viliore materia uti voluerunt. Conſtitutio illa exſtat in Codice Theodoſiano lib. 1. tit. de Expenſis Ludorum. Videndus Franciſcus Juretus in Miſcellaneis ad Symmachum. Porrò etiam Ovidius Amorum lib. 1. Eleg. 12. meminit communium tabellarum inter amatores:

*Flete meos caſus: triſtes rediere tabellæ.*
*Infelix hodie littera poſſe negat.*

Quamvis autem mihi perſuaſum non ſit, locum Juvenalis e Satyrâ 9. ad amatoria Diptycha figuris ornata pertinere; nihilominus probo conjecturam viri doctiſſimi atque elegantiſſimi Claudii Bo-

Bozii ; exiſtimantis , tempore Juvenalis amatoria Diptycha , penes homines elegantiarum ſtudioſos , ad uſum & ſubitos eventus promta & parata fuiſſe ; quemadmodum & anuli erant , & ſigilla , & vaſcula , & lampades , & urnæ cinerariæ , & ſimilia ſexcenta . Operæ pretium faciet qui alteram ejus Gallicam epiſtolam de hoc argumento ad Cardinalem Quirinum datam perlegerit : illa enim viri doctrinam , antiquitatis notitiam , acumen , prudentiam, & ſingularem comitatem oſtendit.

XII. Sed jam tempus eſt ut aperiam, quid mihi videatur de argumento Diptychi Quiriniani ; ne quum aliorum conjecturas & ſuſpiciones tanto molimine refutare conatus adhuc fuerim , nihil ipſe in medium proferam quod earum loco ſubſtitui poſſit . Exiſtimo igitur , figuras quæ in eburneis Diptychi tabellis continentur, pertinere ad nuptias Ptolemæi Evergetæ regis Ægypti , & Berenices ſororis ejus , quorum pater fuit Ptolemæus Philadelphus Ægypti rex, genuina mater Arſinoë Lyſimachi , adoptiva vero mater Arſinoë alia , germana ſoror Philadelphi ; cui maritus adoptavit liberos quos ex priore ſuſceperat , quum illam , ob inſidias ſibi ſtructas, dimiſiſſet , atque in Coptum relegaviſſet ; altera vero uxor ſterilis viveret , uti teſtatur Scholiaſtes Vetus Theocriti . In utraque tabella figura muliebris hanc Berenicen ſignificat: ſed in prima puellam & innuptam, in altera vero, nuper poſita virginitate , ex maritali thalamo prodeuntem . Juvenis nudus in dextera Diptychi fore non eſt ipſe Ptolemæus , at Genius Ptolemæi, qui libellum virgini oſtendit, in quo memoria benefactorum Berenices litteris conſignata ſit . Erat enim Berenice magno animo puella , & virago potius quam mulier: immo præclara facinora ediderat , ætatem ac ſexum ſupergreſſa .. Rex propterea

virtute magis quam forma puellæ, aut libidine inductus, neque a majorum ſuorum conſuetudine diſcedens, qui ſorores matrimonio ſibi copulabant, hoc ſymbolo conſilium ſuum exponit. Puella verecundiam ſuam demiſſis oculis, & capitis flexu prodit; ac digitum indicem ſummo pectori admovens, teſtatur admirationem, quaſi ſe regalibus nuptiis, & fraterno conjugio indignam putet. Amor interea ſeverum ac ſobrium Berenices animum face pertentat & labefactat. Siniſtra tabella parnovorum conjugum exhibet, nempe Ptolemæum ipſum, tunicatum, ſuccinctum, ad Syriacam expeditionem paratum; ac Berenicen in gaudio dolentem, & propterea mirum γλυκύπικρον facie præferentem. Gaudet ſcilicet, quod jam regina ſit: dolet, quod a regis fratris ac mariti latere tantiſper avelli cogatur, donec is, victis hoſtibus, ex Aſia redeat. Tradunt enim hiſtoriæ, Ptolemæum Evergeten ſtatim ut Berenicen uxorem duxerat, in Aſiam militatum abiiſſe. Iccirco expeditus cum haſta & clypeo fingitur. Significat autem nova nupta, mariti labium digitis comprimens, nolle ſe juſſis ejus acquieſcere, neque interea domi manere, ut ille præceperat; ſed cupere in Syriam ſimul proficiſci, ac militiæ labores perferre, ſicuti a prima ætate ſolita fuerat. Ὑπόθεσιν tabellarum ſummatim propoſui: reliquum eſt, ut oſtendam, ſingula quæ in his tabellis animadverti poſſunt, huic ὑποθέσει mirum in modum convenire. Quod ſolide atque accurate me præſtiturum confido.

XIII. Hoc argumentum hiſtoricum quidem eſt, ſed cognationem etiam nonnullam habet cum fabulis. Ut enim ſcribit Hyginus Poetici Aſtronomici lib. 2. cap. 24. *vovit Berenice, ſi victor Ptolemæus rediſſet, ſe detonſuram crinem: quo voto damnatum crinem in Veneris Arſinoës Zephyritidis poſuit* tem-

*templo: iſque poſtero die non comparuit: quod factum quum rex ægre ferret, Conon mathematicus, cupiens inire gratiam regis, dixit, crinem inter ſidera videri collocatum: & quaſdam vacuas a figura ſeptem ſtellas oſtendit, quas eſſe fingeret crinem.* Votum igitur Berenices pro reditu & victoria Ptolemæi locum dedit fabulæ de ſeptem ſtellis, a Conone mathematico, eodemque aulico adulatore, indicatis, quas Comam reginæ eſſe mentiretur: id autem nomen ejus ἀςερισμῦ ad hanc diem uſurpatur. Nuptiæ igitur iſtæ in veteri memoria celeberrimæ ſunt: propterea nihil vetat, eas adhiberi potuiſſe tamquam exemplum felicis matrimonii: nam illas virtus puellæ [ non inceſtus erga ſororem amor ] conciliavit; de qua virtute inferius verba faciam. Ideo etiam auſpicatæ fuerunt, quod Berenice Ptolemæum conjugem unice dilexerit; Arſinoën videlicet amitam ſuam, eamdemque matrem adoptivam imitata; de qua Theocritus Idyllio 17. v. 130.

*Ἐκ θυμῦ ςέργοισα κασιγνητόν τε πόσιν τε.*
*Ex animo diligens fratrem atque maritum.*

Berenicen vero Evergetæ uxorem, ob amorem erga virum miris laudibus effert Callimachus Catullo interprete Carm. 65. ubi Comam reginæ, ſideribus jam annumeratam, inducit profitentem, ſibi ſacra fieri velle a caſtis tantum uxoribus, non ab adulteris & impuris: ſe enim concordiæ maritali a Venere præfectam. Hiſtoria igitur a me propoſita eo vitio caret quo pleraſque alias ſuperius refutatas laborare oſtendi. Neque obſtat bonis auſpiciis conjugium fratris & ſororis: hoc enim quod moribus noſtris barbarum, inceſtum, ac nefarium eſt, ſolenne fuit atque auguſtum Ægypti regibus, exempla Saturni ac Cybeles, Jovis ac Junonis, Oſiridis atque Iſidis, magnorum Deorum, ſecutis;

D 2 pu-

puto, quod nollent externo ſanguine regiam ſtirpem contaminari, atque ita ad peregrinam indolem paullatim deflectere. Perſæ hoc in genere majore licentia utebanrur, *κατὰ τοὺς Ζαράδου πάλαι πολιτευόμενοι νόμους*, ut memorat Theodoretus Oratione 9. de Legibus adverſus Græcos, *καὶ μητράσι, καὶ ἀδελφαῖς, καὶ θυγατράσι μιγνύμενοι*. Videtur porro Athenienſibus quoque uſitatum olim fuiſſe ſorores germanas, nempe *ὁμοπατρίους*, quas alii conſanguineas vocant, conjugio ſibi copulare. Id certe narrat Cornelius Nepos de Cimone. *Habebat*, inquit, *in matrimonio ſororem ſuam germanam nomine Elpinicen, non magis amore, quam patrio more ductus. nam Athenienſibus licet, eodem patre natas, uxores ducere*. Andocides tamen in Oratione contra Alcibiadem id factum ſcribit *διὰ παρανομίαν*: propterea omnes Hiſtorici Cimonem infamia notant. Immo Suidas in voce *Κίμων*, & *ὄστρακος*, teſtularum ſuffragio ob eam cauſſam urbe illum ejectum, affirmat. [ Neque ſolum Athenienſes & Perſæ, verum etiam alii ad Orientem populi, ſorores matrimonio ſibi copulabant, nimirum Phœnices, Epirotæ, Ponti accolæ, Cares, uti teſtantur Achilles Tatius, Juſtinus, alii; quos memorat Auguſtinus Calmet, Divinarum Litterarum Interpres doctiſſimus, ad caput 20. Geneſeos v. 12. Hic præſtantiſſimo humaniſſimoque Oliverio non gravate conceſſerim, ab hujuſcemodi nuptiis Romanos abhorruiſſe: non ita tamen abhorruere, ut Jovem inceſtum adorare deſinerent, ejus templa diruerent, aras ſubverterent, eumque de cæleſtium regno, per vim & facinus parato, quantum in ipſis fuit, deturbarent. Morem igitur barbarum, quem in Superis adeo non improbabant, ut etiam venerarentur; poterant, niſi fallor, in Ægypti regibus facile ferre. ] Chriſtianis temporibus, a ſororum con-

conjugiis abſtinuerunt quidem Chriſtiani reges ac principes ; proximos tamen conſanguinitatis gradus plerumque expetiverunt . Hunc vero morem vetuſtum eſſe , declarat Honorius Imperator , ita loquens apud Claudianum lib. de Nuptiis Honorii & Mariæ v. 28.

*Non rapio præceps alienæ fœdera tedæ ,*
*Sed quæ ſponſa mihi pridem , patriiſque relicta*
*Mandatis , uno materni ſanguinis ortu*
*Communem partitur avum .*

Erat enim Honorio Maria , ſororis patruelis filia , nempe Serenæ reginæ . Quamobrem ſuſpicari licet , miſſum hoc Diptychum a principe quodam viro ad puellam conſanguineam , cujus nuptias ambiret , non effreni cupiditate , ſed moribus puellæ captus .

XIV. Nudus igitur adoleſcens in priore tabella non ipſum Ptolemæum , ſed Genium exprimit Ptolemæi . Veteres nimirum , quibus nullus Deorum numerus certus & definitus fuit , ſicuti mortuorum hominum animos appellabant Manes , eoſque tamquam Deos venerabantur , & ſacrificiis colebant , ita ſingulis naſcentibus & viventibus cuſtodes quoſdam & præſides vitæ tribuebant ; maribus quidem Genios , feminis vero Junones . Plinius lib. 2. Nat. Hiſt. cap. 7. *Major cælitum populus etiam quam hominum intelligi poteſt , quum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem Deos faciant , Junones Genioſque adoptando ſibi .* Immo unicuique homini duos Genios præficiebant , album unum , dextrum , & proſperum , atrum alterum , lævum , atque infelicem ; quos Græci *ἀγαθοδαίμονας* ϗ *κακοδαίμονας* dicebant . Miſſos facio Genios locorum , regnorum , provinciarum , urbium , fluminum , montium , ſilvarum ; de quibus plurima ſcribere poſſem , ſi res atque inſtitutum paterentur . Fuit autem

rem Geniorum , ſeu Dæmonum genus , teſte Plutarcho in libro de Oraculorum defectu , ἐν μέσῳ θεῶν ϗ ἀνθρώπων , *medium inter deos & homines* . His propterea exiſtimabant uti Deos , veluti nuntiis , quotieſcumque ad homines aliquid mandare voluiſſent . Id teſtatur Plato apud eumdem Plutarchum libro de Iſide & Oſiride . Quod etiam argumento noſtro mirifice convenit . Ptolemæus enim tamquam Deus aliquis major ( quæ fuit priſcorum regum ſuperbia ) mittit Genium ſuum ad Berenicen , mortalem adhuc mulierem , quod nondum regi matrimonio conjuncta eſſet . Cenſorinum audiamus cap. 3. libri de Die Natali . *Genius eſt Deus , cujus in tutela , ut quiſque natus eſt , vivit ; ſive quod , ut generemur , curat , ſive quod una gignitur nobiſcum , ſive etiam quod nos genitos ſuſcipit ac tuetur ; certe a genendo Genius appellatur . Eumdem eſſe Genium & Larem multi veteres memoriæ prodiderunt -- -- -- Hunc in nos maximam , immo omnem habere poteſtatem , creditum eſt . Nonnulli binos Genios in iis dumtaxat domibus quæ eſſent maritæ , colendos putaverunt . Euclides Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appoſitum ; quam rem apud Lucilium in libro Satyrarum 9. licet cognoſcere* . Significat igitur figura nudi adoleſcentis , conſilium Ptolemæi de uxore ducenda Berenice , Genio regis notum & manifeſtum eſſe . Nam Genius , ut idem Cenſorinus eodem loco tradit , aſſiduus hominibus obſervator appoſitus erat : oportebat ideo intimas hominis , cui aderat , cogitationes ei omnino patere . Horatius propterea Epiſt. 2. l. 2. v. 187.

*Scit Genius , natale comes qui temperat aſtrum ,*
*Naturæ Deus humanæ , mortalis in unumquodque caput , vultu mutabilis , albus & ater .*

Et ob hanc etiam fortaſſe cauſſam nudus effingitur ,

tur, quod ei nuda omnia & aperta eſſent. Genios dominorum adorabant ſervi, præſertim quum eos iratos placare ſtuderent. Propertius Elegia 9. l. 4.

*Atque ubi jam noſtris laſſavit brachia plagis,*
*Lygdamus ad plutei fulcra ſiniſtra jacens*
*Exuitur, Geniumque meum proſtratus adorat.*

Jurabant præterea veteres per Genios & Junones ſuas, vel alienas: nam & juramentum pertinet ad Deorum religionem. Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

*Etſi perque ſuos fallax juravit ocellos,*
*Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem,*
*Nulla fides inerit.*

Quartilla pariter apud Petronium Satyrico: *Junonem meam iratam habeam, ſi umquam me meminerim virginem fuiſſe.* Juvenalis denique Sat. 2. v. 98.

*Et per Junonem domini, jurante miniſtro.*

Loquitur ibi poeta de cinædo, qui ( honos ſit auribus ) nubebat viro: propterea tribuit illi Junonem, perinde ac feminæ, non Genium. Exiſtimo autem, jurare per caput, idem omnino fuiſſe ac jurare per Genium vel Junonem. Ita Coma Berenices jurare videtur per Junonem reginæ, quum ſic apud Catullum Carm. 65. v. 39.

*Invita, o regina, tuo de vertice ceſſi,*
*Invita. adjuro teque, tuumque caput,*
*Digna ferat, quod ſi quis inaniter adjurarit.*

Genius enim dicitur *mortalis in unumquodque caput.* Siquidem homine mortuo & Genius occidebat: quod poſtea copioſius explicabo. At Juno non fuit Dea Ægyptiorum, ſed Græcorum & Romanorum. Id vero nihili eſt: nam Ptolemæi Ægypti reges originem ducebant ab homine Græco, nempe Ptolemæo Lagi, uno ex ducibus Alexandri: non igitur mirum eſt ſi cæremonias & ſacra Macedonum retinuiſſent. Sed ſolenne juramentum & ſanctiſſimum fuit, jurare per Genium principis. Ul-

 pia-

pianus J. C. Digeſtorum lib. 12. tit. 2. lege 13. §. 6. *Si quis juraverit in re pecuniaria per Genium principis, dare ſe non oportere, & pejeraverit ---- imperator noſter cum patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere: & ita ei ſuperdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε*. Tertullianus Apologetici cap. 28. *Citius apud vos per omnes Deos, quam per Genium principis pejeratur*. Immo hujuſmodi juramentum numquam adhibuiſſe, multis exitio fuit imperante Caligula; quod teſtatur Suetonius in ejus Vita cap. 27. *Nec omnes*, inquit, *gravibus ex cauſſis* (occidi juſſit), *verum male de munere ſuo opinatos, vel quod numquam per Genium ſuum dejeraſſent*. Genio Augusti dedicare ædem Jovis Olympii Athenis, reges amicos & ſocios voluiſſe, refert idem Tranquillus in Octaviano cap. 60. Quemadmodum vero *Junonem pronubam* rite appellavit Maro lib. 4. Æneid. v. 166. ita Genium *παρανύμφον* haberi fas eſt: quinimmo a Genio *lectus genialis*, nempe nuptialis, vocatur.

XV. Ceterum Canis Genio apponitur, propterea quod Genius & Lar Deus idem eſſet, ut multi veteres memoriæ prodiderunt, teſte Cenſorino de Die Natali cap. 3. Fingebantur autem Lares viatorum habitu cum pelle, & cane. Pellem exhibet noſter adoleſcens in ſummo ſiniſtro humero, & balteum etiam coriaceum, ut videtur. Memorabile eſt quod ſcribit Plutarchus *ἐν ῥωμαϊκοῖς*, Lares qui proprie Præſtites vocarentur, canina pelle indui conſueviſſe; & Canem ipſis appoſitum. *τούτοις*, inquit, *κύων παρέστηκεν*. Vel quod cuſtodirent ædes, ideoque alienis feros, domeſticis manſuetos eos eſſe oporteret, cujuſmodi eſt natura canum: vel quod Genii quidam cenſerentur ſcelerum ultores, qui in vitas & familias hominum inſpicerent, ac tamquam canes ſagacius omnia odorarentur-

rcn-

rentur & ſcrutarentur. Manæ etiam Genetæ, quæ mater fuit Larum, canem immolabant, petentes, μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν, ne quis videlicet eorum qui domi naſcerentur, bonus evaderet. quod votum interpretatur Plutarchus, ne quis cito moreretur, & inter Manes referretur, qui urbane appellabantur χρηστοὶ, nempe *boni*. Propterea Virgilius Æneid. 12. v. 646. *Vos o mihi Manes Eſte boni*. Quid quod Pilumnus, unus ex Laribus, idem erat Romanis ac Genius maritorum, & cuſtos puerperarum? ut docet Joannes Meurſius apud Fridericum Taubmannum ad Aulularíam Plauti Actu 2. Sc. 8. v. 15. Neque argumento Diptychi peregrino quidquam officiunt Romanæ conſuetudines: nam hæ magnam partem ſumtæ fuerunt a Græcis: & præterea qui tabellas fieri juſſit, potuit eſſe homo Romanus, ut mirari non oporteat, ſi adjecta ſint figuris nonnulla propria Romanorum. Non igitur fidelitatem, ſed ſagacitatem potius ſignificat canis Genii comes in ebore Quiriniano: Genius enim aſſiduus obſervator fuit actionum humanarum, ſi Cenſorinum audimus loco ſuperius allato. Conjecerat igitur Genius Ptolemæi & virtutem Berenices, & animum regis erga illam propenſum. Canis autem ad puellam caput erigit, eam placide intuetur, ac pede blande ſollicitat, ut domeſticam ſcilicet, ac mox domini uxorem futuram.

XVI. Cur vero nudus fingitur Genius? Quod videlicet Dii veſte non indigeant; ſunt enim αὐτάρκεις, ipſi ſibi ſufficientes; ſunt etiam ἄνοσοι, expertes morborum, & iccirco aëris ac tempeſtatum injuriis non obnoxii, adverſus quas præſidio veſtium uti ſolemus: ( niſi quod Genius ἀγήρως non eſt, neque ἀθάνατος; ſeneſcit enim ac moritur ſimul cum homine ) vel ut ſignificetur amor ſincerus, non ſimulatus; manifeſtus, non occultus,

qua-

qualis decet apertum conjugem, ut loquitur Propertius Eleg. 3. lib. 4.

*Omnis amor magnus, ſed aperto in conjuge major,*

non adulterum, aut ſcortatorem, quorum amores furtivi & latentes. Cupidinem ſinibus veſtium carere, ſcripſit Ovidius Amorum lib. 1. Eleg. 10.

*Quid puerum Veneris pretio proſtare jubetis?*
*Quo pretium condat, non habet ille ſinum.*

Ita nudæ fingebantur Gratiæ, quod eſſent ſimplices, ac ſine dolo. Horatius Ode 7. lib. 4.

*Gratia cum Nymphis geminiſque ſororibus audet*
*Ducere nuda choros.*

Nudos etiam repræſentabant Deos internuntios, qualis erat Mercurius. Nudi præterea ſtatui ſolebant Juppiter, Neptunus, Bacchus, Venus, & Dii fere omnes nuptiarum, amorum, generationis præſides. Quanto enim dedecori hominibus nuditas eſt, tantum decet Deos, ob cauſſas quas attulimus. Recte animadvertit Joannes Nicolai cap. 12. libri de Ritu Bacchanaliorum, ex Hebræorum moribus & divinis Litteris, nuditatem ſumtam μεταφορικῶς, quamlibet rem turpem ſignificare. Auguſtus propterea Cæſar vetuit edicto, ne imberbes inter Lupercos nudi per urbem curſitarent, uti refert Suetonius in ejus Vita cap. 31. In Lupercalibus enim, feſto Romanorum, Luperci per laſciviam diſcurrebant nudi, pudenda ſolum ſuccincti pellibus immolatorum paullo ante animalium, (canes autem præcipue immolabant) & obvium quemque ſcutica cædebant. Mulieres porro quæ Luperco diſcurrenti palmam cædendam præbuiſſent, adipiſci credebantur fecunditatem. Quapropter aliquis ſuſpicari potuiſſet, nudum adoleſcentem in Diptycho Lupercum eſſe, qui ſiniſtra manu non librum quidem, at ſcuticam extollat, fecunditatis auctorem; præſertim quum docti viri Maffejus

&

& Muratorius incertum eſſe dixerint, an liber ſit id quod adoleſcens manu teneat, vel aliud quidlibet potius. At ſi tabellæ pulchre ſervatæ ſunt, ſi ab injuriis temporis omnino immunes, ut ferunt; exiſtimo cuncta in illis expreſſa & clara eſſe oportere, neque ullum dubitationi relinqui locum.

XVII. Ceterum δορυφόρον, ſive haſtatum, Genium Ptolemæi vetus ille ſcalptor, quiſquis fuit, nobis propoſuit, ob duas, niſi fallor, cauſſas; communem unam, peculiarem alteram. Communis eſt; quod antiqui, Romani præſertim, ſingulis Deorum ſimulacris haſtas addebant, immo pro Marte haſtas colebant, ut Varronis auctoritate fretus tradit Arnobius lib. 5. Contra Gentes. Non enim ſegnes, aut inertes Deos & nihil agentes, quemadmodum Epicurei, ſed ſtrenuos, & efficaces inducebant, qui pro majeſtate ſua propugnare, a bonorum capite periculum propulſare, malorum vim retundere, ſcelera ulciſci parati eſſent. Peculiaris cauſſa eſt; quod Genium Ptolemæi, bellicoſi regis, armatum & haſta inſtructum fingi deceret. Qua de re copioſius poſtea dicam in explicatione tabellæ alterius.

XVIII. Habuit vero rationem artifex pudicæ affectionis qua rex erga ſororem ferebatur: ſuſtulit enim e corpore formoſi adoleſcentis, quem in ebore effingebat, partes libidinum adminiſtras. Nimirum ſignificare voluit, nuptiis Berenices expetendis, non præcipue concubitum, ſed vitæ communionem, & animorum conjunctionem magis quam corporum a Ptolemæo ſpectari: dignamque illam, ob magnas virtutes, judicatam quæ fraterni faſtigii particeps haberetur. Sic & Callimachus Catullo interprete in Elegia de Coma, laudat temperantiam Berenices, quæ diſceſſum regis mi-

lita-

litatum abeuntis acerbe luxerit , quod frater ſibi eſſet, non quod ſola in lecto relinqueretur.

*At tu non orbum luxti deſerta cubile,*
*Sed fratris cari flebile diſcidium.*

ut legitur in vulgatis codicibus. Neque abſurdum exiſtimari debet, Deum [ eo caſu ] indicem continentiæ carere genitalibus : quum contra Πείπτος, Deus generationis præſes, enormia prætulerit αἰδοῖα : quum Vulcanum, & Pœnam claudos, Plutum oculis captum, Fortunam cæcam, Cyclopas μονοφθάλμους, tres Phorcidas uno viciſſim oculo utentes finxerint fabulæ. Aliud videlicet loquebantur, aliud intelligebant. Mitto Janum geminum, ſeu bicipitem; Geryonem tricorporem, Gyan & Briareum centimanos, reliquos Gigantes cum draconum pedibus, Hydram πολυκέφαλον, Minotaurum, Scyllam, Chimæram, Sphingem, Centauros, Panas capripedes, Pegaſum, Glaucum marinum, & alia plura fabularum portenta, in fronte ridicula, ſed in receſſu plena ſapientiæ. Quid igitur mirum ſi abſque virilibus Genius fingatur? quæ in Ægyptiorum hieroglyphicis fuerunt σύμβολα æternitatis: nam ope ipſorum, diſpendia mortalis naturæ ſarciuntur & reparantur. Genius contra cum ſingulis hominibus oriebatur & occidebat : propterea dictus eſt Horatio *memor brevis ævi*, *& mortalis in unumquodque caput*. Eodem pacto antiqui finxerunt, Nymphas Hamadryadas roborum & quercuum Genios eſſe, quæ ſuccisis aut areſcentibus arboribus quibus præerant, & ipſæ tandem interirent. Ab his Phœnicem decies ætate ſuperari, canit Auſonius Eidyllio 18.

*Alipedem cervum ter vincit corvus : & illum*
*Multiplicat novies Phœnix, reparabilis ales.*
*Quam vos perpetuo decies prævertitis ævo*
*Nymphæ Hamadryades: quarum longiſſima vita eſt.*

Sic

Sic & Minervam appellabant Genium librorum : quod memini me docere luculente in Commentario ad Carmen I. Catulli : qui Genius poſſit quidem *perennis manere plus uno ſæculo* , non tamen æternus eſſe.

XIX. Venio nunc ad Librum quem adoleſcens noſter gerit læva manu, & apertum quidem ac bipatentem. Hunc plerique putaverunt amatoriam eſſe epiſtolam, carmine vel ſoluta oratione ſcriptam. Conſuetudinem hujuſmodi olim fuiſſe inter amatores, quæ & hodie viget, ut ſe litterulis viciſſim adirent ac ſolarentur, ſuperius oſtendimus, allatis veterum teſtimoniis. Mittebantur epiſtolæ per internuntios a procis, & a ſponſis, ad cupitas, ad ſperatas, ad pactas; fatemur : non tamen ab ipſis portabantur; quod ineptum, frigidum, ſupervacaneum fuiſſet : bonum amatorem, quum ipſe veniſſet, ac præſens colloqui poſſet, per litteras cum puella ſermones miſcere. Penelope apud Ovidium :

*Nil mihi reſcribas attamen, ipſe veni.*

Tibullus Kal. Martiis, feſtis nimirum matronalibus, Neæræ, cujus conjugium optaverat, & ſperaverat, mittit libellum carminum. Sic enim Muſas alloquitur Eleg. 1. l. 3.

*Per vos auctores hujus mihi carminis oro,*
*Caſtaliamque umbram, Pierioſque lacus;*
*Ite domum, cultumque illi donate libellum.*

Utitur ſcilicet poeta Deabus ſibi familiaribus, tamquam internuntiis, non ſecus ac Genio ſuo Ptolemæus. Sed neque ſyngrapham eſſe crediderim, ſeu tabellas in quibus pacta conventa, & ſtipulationes ad matrimonium pertinentes litteris mandatæ fuerint : præſertim quum liber ſit recluſus, non ſignatus. Igitur, mea ſententia, Liber in hoc Diptycho nihil aliud eſt quam σύμβολον & ſignificatio me-

memoris animi regis Ptolemæi, ex quo non exciderant præclara facinora Berenices, ob quæ potiſſimum rex inducebatur ad eam ſibi matrimonio copulandam. Quæ magni animi ſpecimina ediderit Berenice in adoleſcentia, refert Hyginus lib. 2. Poetici Aſtronomici cap. 24. *Hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, & ad Olympia mittere conſuetam fuiſſe. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemæum Berenices patrem multitudine hoſtium perterritum, fuga ſalutem petiſſe: filiam autem ſæpe conſuetam, inſiliiſſe in equum, & reliquam exercitus copiam conſtituiſſe, & complures hoſtium interfeciſſe; reliquos in fugam conjeciſſe, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Manebat* igitur id ſororis facinus *alta mente repoſtum* Ptolemæo fratri. Ceterum, *ſcribere in animo & memoria*, tamquam *ἐν πίναxι ἢ γραμματείῳ*, non minus vere quam eleganter dixerunt Græci auctores, & Latini. Pindarus Ode 10. Olympionic.

Τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι
Ἀρχεστράτου παῖδα, πόθι φρενὸς
Ἐμᾶς γέγραπται.

*Olympicum victorem legite mibi Archeſtrati filium, qua in parte animi mei ſcriptus ſit.* Æſchylus in Prometheo vincto v. 762.

-- -- -- Πολύδονον πλάνην φράσω,
Ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν.

*Vagum errorem dicam, quem tu ſcribe in memoribus tabulis mentis.* Idem Eumenidibus v. 280. de Plutone:

Δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.

*Omnia inſpicit animo, cui inſcribuntur ut libro.* Sophocles Philoctete v. 1318.

Καὶ ταῦτ' ἐπίςω, καὶ γράφου φρενῶν ἔσω.

*Et hæc ſcito, & animo inſcribito.* Quibus addenda verba Joſephi lib. 2. in Apionem: Ἡμῶν ὀντινῦν εἴ

τις

τις ἔροιτο τὰς νόμους, ῥᾶον ἂν εἴποι πάντας, ἢ τὔνομα τὸ ἑαυτοῦ. Τοιγαροῦν ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς αἰσθήσεως αὐτὰς ἐκμανθάνοντες ἔχομεν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐγκεχαραγμένους. h. e. *Si quem noſtrûm interrogaverit quiſpiam de legibus, facilius omnes dixerit quam nomen ſuum; nam ex quo primum intelligimus, eas diſcentes habemus in animo ſcriptas*. Eſt autem locutio prophetis, aliiſque ſacris ſcriptoribus valde uſitata. D. Paulus Epiſt. ad Romanos cap. 2. ait; ἔργον νόμου γραπτὸν εἶναι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. *Opus legis in illorum* ( Ethnicorum ) *cordibus inſcriptum eſſe*. Græcos imitati ſunt Latini. Apud Terentium in Andria, Act. 1. Sc. 6. quum dixiſſet Myſis: *Unum hoc ſcio; meritam eſſe ut memor eſſes ſui*, reſpondet Pamphilus:

> *Memor eſſem? ô Myſis, Myſis! etiam nunc mihi*
> *Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis,*
> *De Glycerio*.

Cicero Academ. Quæſt. lib. 2. cap. 1. *Ut litteris conſignamus quæ monumentis mandare volumus, ſic ille in animo ſuo res inſculptas habebat*. Sed pulcherrimus eſt locus M. Senecæ Rhetoris in Præfatione lib. 1. Controverſ. ubi de Porcio Latrone: *In eo non tantum naturalis memoriæ felicitas erat, ſed ars ſumma & ad apprehendenda quæ tenere debebat, & ad cuſtodienda; adeo ut omnes declamationes ſuas, quaſcumque dixerat, teneret. Jam itaque ſupervacuos ſibi fecerat Codices. Ajebat ſe ſcribere in animo*. Plura de hac re legi poſſunt apud Joannem Clericum Artis Criticæ Parte 2. Sect. 1. cap. 4. ubi agit de Emphaſi vocum. Quum vero aliquid memoria excidiſſet, id abolitum ac deletum dicebant, metaphora indidem petita, nempe a libris & ſcriptione. Virgilius lib. 1. Æneid. v. 720.

> -- -- -- *At memor ille*
> *Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sichæum*

*In-*

*Incipit, & vivo tentat prævertere amore*
*Jampridem reſides animos, deſuetaque corda.*

Terentius autem Eunuchi Actu 2. Sc. 3. v. 4.

*O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.*
*Tædet cotidianarum harum formarum.*

Ad rem noſtram quod attinet, Genius Ptolemæi Librum apertum tenens videtur dicere Berenicæ admiranti, & ingenuo rubore ſuffuſæ, id quod ſcribit Catullus Elegia de Coma v. 27.

*Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es Conjugium?*

& ſubjungere quod ait idem poeta Carm. 30. v. 11.

*Si tu oblita es, at Dii meminerunt, meminit Fides.*

Non ſolum autem grato animo & memori fortium benefacta a regibus condebantur, ſed præterea faſtis & monumentis accurate mandabantur. Legimus in libro Eſther cap. 6. de Aſſuero: *Noctem illam duxit rex inſomnem, juſſitque ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum. Quæ quum illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum ubi ſcriptum erat, quomodo nuntiaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Aſſuerum jugulare cupientium. Quod quum audiſſet rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus conſecutus eſt?* Neque illud prætermittendum mihi videtur, ſæpius memoratum Hyginum Poetici Aſtronomici lib. 2. cap. 24. hæc addere laudibus Berenices: *Eratoſthenes autem dicit, & virginibus Lesbiis dotem quam cuique relictam a parente nemo ſolveret, juſſiſſe reddi: & inter eas conſtituiſſe petitionem.* Quidni ergo Berenicen Ptolemæus unice amaret, ac uxorem ſibi expeteret, virginem tam fortem, ac tanta juſtitia? Ut videtur, eo tempore Ptolemæi Ægypti reges Lesbiis imperabant. Theocritus certe Eidyllio 17. Philadelphum longe lateque imperii

fines

ſines protuliſſe ſcribit, inſulaſque Cycladas omnes in ejus ditione fuiſſe. Potuit igitur in Diptycho ſignificari per Librum, ipſa formula petitionis quam Berenice conſtituerat inter virgines Lesbias dotem ſibi relictam repetentes.

XX. Quæ ſuperſunt in priore tabella, explicatu faciliora ſunt. Ἐνδρομίδας habet in pedibus nudis adoleſcens, calceos nimirum leves, expeditos, viatoribus aptos; ita vero inferne patentes, ut digiti pedum appareant: quod animadvertere eſt etiam in figura virili tabellæ alterius. Duæ contra figuræ muliebres habent calceos omnino clauſos: quo more utebantur, ne læderentur, credo, inter ambulandum teneri puellarum pedes. Ex quo non inanis conjectura fieri poteſt, utramque tabulam ad idem Diptychum pertinere. Habitus puellæ ſtolatæ, ac palla coopertæ pudorem ac modeſtiam virginalem ſignificat: neque enim Berenice ſemper equitabat, vel pugnabat. Nullum autem flammeum in figura agnoſco: nam flammeo faciem operiebant novæ nuptæ; hic autem faciem virginis detectam videmus. Lucanus lib. 3. Pharſaliæ v. 360.

*Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem*
*Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.*

Quod autem in cruribus puellæ decuſſatis viri quidam eruditi deprehendere ſibi viſi ſunt cuſtodiam virginitatis, id quidem non improbarem, niſi in poſteriore tabula juvenis maritus fingeretur & ipſe cruribus decuſſatis. Puto igitur, eum ſtatum corporis tribuendum eſſe arti & voluntati ſcalptoris; qui utramque figuram ita ſtatuere commodum ac decorum exiſtimaverit. Ceterum, ſicuti crus alterum alteri ſuperpoſitum, pudicitiæ tutelam ſignificare poteſt, ita crura diducta portendunt exitium virginitati. Quapropter Lælius Capilupus in Cen-

tone Virgiliano valde laſcivo:

*Diſſiluiſſe ferunt direptis crura cothurnis.*

Jam ſingula quæ priore tabella continentur, ſatis me arbitror explicaviſſe. Ad poſteriorem accedo.

XXI. Nuptias igitur celebratas, ambos conjuges e thalamo prodeuntes, Ptolemæum ipſum, non amplius Genium Ptolemæi, cum haſta & clypeo militatum abeuntem, pileatum, ſuccinctum; Berenicen jam ex virgine mulierem, dolentem ob mariti diſceſſum, non ſine gaudio tamen, quod regina ſit; Amorem alis deſtitutum, coronas pares conjugibus porrigentem, altera tabella indicat. Velum, ſive aulæum, ſeu περιπέτασμα, reductum aſpicimus; quale prætendebatur ſacris principum cubiculis, ac thalamis reginarum, immo adytis & penetralibus Deorum. Pſellus ἐν Ἀναγωγαῖς, ubi de Sphinge: Ἐπὶ τῶν λεγομένων τελετῶν, τὰ μὲν ἄδυτα ἦν, ὡς δηλοῖ καὶ τοὔνομα. τὰ δὲ παραπετάσματα προβέβληνται, ἀθέατα τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις φυλάττοντα: &c. *Quod ad initiationes, quæ dicuntur, alia quidem adyta vel recondita erant, ut innuit etiam nomen. Vela autem propendebant, cuſtodientia quæ in adytis latebant, ne videri poſſent.* Ita ſiparium in theatris, velum erat quod populo obſiſtebat dum actus commutarentur. De velis in domibus locupletum, quæ nequitiam illorum occultabant, Juvenalis Sat. 9. v. 105.

*Vela tegant rimas, claude oſtia, tollito lumen.*

Ante pauperiorum cubicula explicabantur centones, nimirum panni viles ac rudes. Meſſalina uxor Claudii, apud eumdem poetam Sat. 6. v. 121.

*Intravit calidum veteri centone lupanar.*

Quo pertinet illud Petronii: *Ut in locum ſecretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit.* Velum appellat Martialis Epigr. 35. lib. 1.

*At meretrix abigit teſtem veloque, ſeraque.*

Idem

Idem Epigr. 45. lib. 11.

*Contentus non es foribus, veloque, ſeraque.*

*Linteum* vocat Juvenalis Sat. 8. v. 168.

*- - - - - - Lateranus ad illos*
*Thermarum calices, inſcriptaque lintea vadit.*

Præterea, velis utebantur ad ornandas ædium januas in ſolennibus nuptiarum. Idem poeta Sat. 6. v. 227. de muliere ſtatim poſt nuptias divertente:

*Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit*
*Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.*

XXII. Breviore porro ſtatura exhibetur Ptolemæus, quam Genius ipſius: decebat enim fingi hominem, quamquam regem, Deo minorem. Certe a veteribus exiſtimatum eſt, Deos habitu corporis magis procero eſſe quam homines. Cornelius Tacitus Annal. lib. 11. *Oblata ei ſpecies muliebris ultra modum humanum, & audita major humanâ vox.* Virgilius lib. 2. Æneid. v. 590. de Venere:

*- - - - pura per noctem in luce refulſit*
*Alma parens, confeſſa Deam, qualiſque videri*
*Cælicolis, & quanta ſolet - - - - - -*

Conſulendus Hadrianus Turnebus lib 30. Adverſar. cap. ultimo. Propertius Eleg. 2. lib. 2.

*Fulva coma eſt, longæque manus, & maxima toto*
*Corpore, & incedit vel Jove digna ſoror.*

Comparat Cynthiam ſuam Junoni. Tibullus de Baccho Elegia 6. lib. 3.

*Quales his pœnas qualis quantuſque minetur,*
*Cadmææ matris præda cruenta docet.*

Vide & Plinium Cæcilium lib. 7. Epiſt. 27. & Dionem Caſſium lib. 55. de muliere quadam Druſo oblata; cui concinit Suetonius in Claudio cap. 1. Immo & Manibus, ſive Umbris mortuorum, quos oſtendi ſuperius, Geniis viventium reſpondere, ſtaturam ampliorem tribuebant. Virg. Æn. 2. v. 772.

*Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creuſæ*
*Viſa mihi ante oculos, & notâ major imago.*

Fruſtra vero quis requiſiverit in vetuſtis numiſmatis, an Ptolemæum Evergeten juvenis noſter facie referat, vel Berenicen puella: ſolebant enim amatoria iſta Diptycha mittentes, ad hiſtoriam quidem aliquam celebrem, vel fabulam reſpicere; verumtamen oris proprii lineamenta, & puellarum quas amarent, ſculptis figuris accommodabant. In Deos nimirum & heroas transferebant imagines τῶν ἐρωμένων: contra, Deorum & heroum imaginibus nonnumquam ſuos amores ſignificabant. Id manifeſtum eſt vel ex Ode 29. Anacreontis: Τὸν Ἀπόλλωνα δὲ τοῦτον Καθελὼν, ποίει Βάθυλλον. Ἢν δ' ἐς Σάμον ποτ' ἔλθῃς, Γράφε Φοῖβον ἐκ Βαθύλλου. *Apollinem autem hunc Detrahens, fac ex eo Bathyllum; ſin ad Samum umquam veneris, Pinge Phœbum ex Bathyllo.* Ubi καθελὼν idem valet quod ἀπεικάσας, *effingens* nimirum, & *deducens* tamquam ab exemplari; quod Itali dicimus *ritrarre*, *copiare*.

X X I I I. Haſtam & ſcutum gerit Ptolemæus; nam paullo poſt nuptias Berenices in Aſiam profectus eſt, nempe in Syriam, quam novis rebus ſtudentem oppugnavit, & victor deinde ſubjugavit. Hyginum audiamus lib. 2. Poetici Aſtronomici cap. 24. *Quum Ptolemæus Berenicen Ptolemæi & Arſinoës filiam ſororem ſuam duxiſſet uxorem, & paucis poſt diebus Aſiam oppugnatum profectus eſſet.* Callimachus autem Catullo interprete in Elegia de Coma v. 11.

*Qua rex tempeſtate, novo auctus hymenæo,*
*Vaſtatum fines iverat Aſſyrios,*
*Dulcia nocturnæ portans veſtigia rixæ,*
*Quam de virgineis geſſerat exuviis.*

Haſta ſymbolum fuit ἀνδρείας, καὶ πολεμικῆς ἀρετῆς. Quamobrem provinciam bello captam Græci ap-

pel-

pellabant δορύκτητον γῆν, *terram haſta ſeu bello acquiſitam*. Ea vox pari ſignificatione legitur in verſibus antiqui poetæ de libris Pandectarum, juſſu Juſtiniani Cæſaris compoſitis. δορυκτήτου Λιβύσσης, *bello captæ Africæ*. Catullus eadem Elegia v. 36.

*Captam Aſiam Ægypti finibus addiderat.*

Scuto etiam virtutem militarem indicabant. Euripides in Supplicibus v. 902.

Οὐκ ἐν λόγοις ἦν λαμπρὸς, ἀλλ' ἐν ἀσπίδι.

*Non ſermone illuſtris erat, verum pugna, ſeu ſcuto gerenda.*

Et παρ' ἀσπίδα στῆναι, locutio erat παροιμιακὴ apud Græcos, ut innuit Lucianus in Gallo, qua ſignificabant, *conſiſtere in prœlio ſcuto munitum*. Scuta enim antiquorum eâ longitudine ac latitudine fuerunt, ut quum illa milites brachio induiſſent, totum corpus operirent. Hinc Pſaltes regius Pſalmo 91: v. 4. ὅπλῳ κυκλώσει σε ἡ ἀλήθεια αὐτοῦ. quod vulgatus Interpres vertit: *Scuto circumdabit te veritas ejus*. Græci autem ſcutum appellant ὅπλον, vel ὅπλα, κατ' ἐξοχὴν, Latini *arma*. Recteque docet Samuel Pitiſcus ad Suetonium cap. 19. Vitæ Domitiani, armorum exercitationem tam apud milites, quam apud gladiatores in ſolo clypeo & gladio conſtitiſſe. Opere autem plumario confectum videtur ſcutum, ſeu clypeus Ptolemæi: ſquamas enim præfert, quas etiam plumas vocitabant, ob ſimilitudinem. Laminæ rotundæ, ferreæ, argenteæ, vel aureæ ducebantur, ex quibus loricas præcipue, ſed & clypeos, & equorum tegumenta cudebant, qui cataphracti dicebantur. Hunc morem Perſæ uſurpaverunt, quorum loricas habuiſſe ſpeciem λεπίδος σιδηρέης ὄψιν ἰχθυοειδέος, *ferreæ ſquamæ inſtar piſcium*, refert Herodotus in Polymnia. Virgilius de ſquamis hujuſcemodi ſæpe mentionem facit, Æneidos l. 8. v. 435.

*Ægidaque horriferam turbatæ Palladis arma*
*Certatim ſquamis ſerpentum auroque polibant.*

nimirum ſquamis aureis. ἓν διὰ δυοῖν. Æneid. lib. 11. v. 488.

*Jamque adeo Rutulum thoraca indutus aënis*
*Horrebat ſquamis.*

& v. 770. de equo cataphracto:

*Spumantemque agitabat equum: quem pellis aënis*
*In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.*

Propertius Eleg. 10. lib. 3.

*Neve tua Medæ lætentur cæde ſagittæ,*
*Ferreus aurato neu cataphractus equo.*

Ad quos verſus Joannes Paſſeratius affert locum Salluſtii: *Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ, adnexuerant.* Porro clypeus regis purus eſt, neque ullo emblemate inſignis; quod Ptolemæus eo tempore nondum egregio aliquo bellico facinore inclaruiſſet. Milites enim ſpectati ſatis pingebant ſcuta, ducto argumento a ſuis virtutibus: tirones contra, ea ſine ullo ſigno geſtabant. Hinc illud Virgilii Æneid. 9. v. 545.

-- -- -- *primævus Helenor*
-----------------------
*Enſe levis nudo, parmaque inglorius alba.*

Sunt qui ſcutum a clypeo ita diſtinguant, ut ſcutum angulos habuiſſe ſcribant, clypeum unica linea curva circumſcriptum fuiſſe. Auctores tamen utrumque nomen promiſcue uſurpant. Clypeorum amplitudinem ſignificare poteſt mos Lacedæmoniorum, qui cadavera mortuorum in bello clypeis impoſita efferre ſolebant: itemque conſuetudo militum Romanorum, qui, poſt deletam rempublicam, novum Imperatorem clypeo inſidentem, vel in eo ſtantem extollebant, & omnibus conſpiciendum exhibebant.

XXIV.

XXIV. Ptolemæum expeditioni paratum, atque ideo ſuccinctum & tunicatum ſcalptor effinxit: hoc enim habitu in equum facilius inſiliebant. Virgilius Æneid. lib. 7. v. 187.

*Ipſe Quirinali lituo parvaque ſedebat*
*Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat*
*Picus equûm domitor.*

Tunica vero, ſive ἀμπεχόνιον, qua indutus eſt, femineam tunicam imitatur, & manicas habet: quod barbarum & peregrinum regem ſignificat. Talares enim ac manicatas tunicas habere apud veteres Romanos flagitium erat. Idque Numanus apud Virgilium Æneid. lib. 9. v. 616. Phrygibus ac Trojanis exprobrat:

*Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.*

Petaſus contra, vel pileus in capite regis non ita ornamentum Phrygium eſt, ut aliis etiam gentibus commune non fuerit. Pileatos fratres appellat Catullus Carm. 37. διοσκύρως Caſtorem & Pollucem, qui Spartani fuerunt: atque ita illos exhibent nummi. Pileus, vel pileum inſigne libertatis erat Romanis: quod manifeſtum vel ex Perſii verſu 82. Sat. 5.

*Hæc mera libertas: hoc nobis pilea donant.*

Viatores autem illo utebantur potiſſimum. Iccirco M. Antonius Flaminius, diligens veterum imitator, in Elegia quadam pulcherrima:

*His ego pileolum figam, & calcaria, & enſem,*
*Et quæcumque vagus arma viator habet.*

Obiter animadverto, Nicolaum Heinſium diſtichon illud Ovidianum ex lib. 1. Artis Amatoriæ v. 733. ad quod reſpexit doctiſſimus Bozius, ita legere ex melioris notæ codicibus:

*Arguat & macies animum: nec turpe putaris,*
*Palliolum nitidis impoſuiſſe comis.*

Quæ certiſſima emendatio eſt; quum vulgati libri

*pileolam* male præferant. Qui enim ſontico morbo laborarent, vel infirmam valetudinem ſimularent; ii palliolis caput obnubebant. Quinctilianus lib. 11. Inſtit. Orat. cap. 3. *Palliolum, ſicut faſcias quibus crura veſtiuntur, & focalia, ſola poteſt excuſare valetudo.*

X X V. Berenicen facile agnoſcas ex Comæ pulchritudine, dignâ cælo & ſtellarum contubernio. Sed τεκμήριον habemus in faſciculo ſeu βοστρύχῳ capillorum, quos in vertice ipſo capitis eleganter admodum nodus colligit. Hos nimirum vovit regina, & ſuſpendit in templo Arſinoës, ſeu Veneris Zephyritidis, ob mariti victoris reditum; & poſtea Conon retulit inter ſidera. Coma ipſa apud Catullum v. 7.

*Idem me ille Conon cæleſti in lumine vidit*
*E Bereniceo vertice cæſariem*
*Fulgentem clare: quam multis illa Deorum,*
*Lævia protendens brachia, pollicita eſt.*

& verſu 37.

*Invita, o regina, tuo de vertice ceſſi.*

& verſu 61.

*-- -- -- ſed nos quoque fulgeremus*
*Devotæ flavi verticis exuviæ.*

& verſu 75.

*Non his tam lætor rebus, quam me abfore ſemper,*
*Abſore me a dominæ vertice diſcrucior.*

Inculcat poeta verticem, quantum poteſt, ne fallamur; non enim capillos omnes Berenice ſibi abſciderat, ſed eos tantum qui capitis verticem ornabant. Legimus iccirco in eadem Elegia v. 51.

*Abjunctæ paullo ante comæ mea fata ſorores*
*Lugebant.*

*Comæ ſorores* Catullo ſunt crines reginæ, ad tempora, ad frontem, ad occipitium relicti.

X X V I. Chlamys porro & gemmata fibula regi-

ginam aperte loquuntur, & Ægyptiam quidem: Pharetrâ exceptâ, Didoni ſimillimam dixeris, ita ornatam ut deſcribit Maro Æneid. lib. 4. v. 136.

*Tandem progreditur, magna ſtipante caterva,*
*Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:*
*Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,*
*Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.*

Profectionem ſcilicet parat Berenice, ut quæ maritum comitari, & in equum inſilire cogitet. Didonem pariter equus inſtratus exſpectabat ſuccinctam & expeditam; quod venatum itura eſſet cum Ænea. Iccirco Virgilius paullo ante:

*— — — oſtroque inſignis & auro*
*Stat ſonipes, & frena ferox ſpumantia mandit.*

Notat Caſaubonus ad Themiſtoclem Cornelii Nepotis, luxum regum Orientis eo uſque proceſſiſſe, ut antiquæ cuidam reginæ vir ejus totam Ægyptum dederit εἰς κόσμον, ut ſcilicet ingentia vectigalia quæ ex illa provincia redibant, uxori mundum muliebrem ſuppeditarent. Noti ſunt uniones Cleopatræ, quæ in Ægypto imperavit. Luxuriam ejus & ſumtus immanes copioſe deſcribit Plutarchus in Vita M. Antonii Triumviri; Lucanus quoque libro 10. Pharſaliæ a verſu 136. Velim autem viros eruditos animadvertere ſtrophium, ſive faſciam, qua pectus reginæ vincitur pariter in utraque tabella; ut hinc etiam certo concludi poſſit, eamdem utrobique eſſe mulierem, & ad idem Diptychum ambas pagellas pertinere.

XXVIII. Ceterum Berenice primoribus digitis labium Ptolemæi attrectat quam familiariter; nempe ſilentium indicens: quod moleſte ferat, eum ſibi præcipere, ut viro abſente, ac in Aſia militante, ipſa interea domi maneat, jus dicat, & Ægyptum regat. Noverat enim Ptolemæus ingenium puellæ: meminerat, quid fortiter, quid ju-

ſte,

ſte, quid pie, quid humaniter ab ea factum eſſet: propterea volebat, mulierem tanta virtute Ægypto præficere ἀντὶ βασιλέως. Videtur autem regina, eo geſtu, Homericum illud regi dicere ex Iliados ξ. v. 83.

— — — ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

*Quale tibi verbum excidit e ſepto dentium?*

Altera etiam cauſſa hujus rei afferri poteſt. Laudabat pro dignitate maritus uxorem: ea laudibus delectabatur quidem; nam, ut ait Ovidius Artis Amat. lib. 1. v. 623.

*Delectant etiam caſtas præconia formæ;*

ſed quum timeret Nemeſeos indignationem; ſeveræ nimirum, &

— — — *exoſæ verba ſuperba Deæ*,

virum a magnificis hujuſmodi verbis abſtinere jubet.

*Namque in amore ſuo ſemper ſua maxima cuique,*
*Neſcio quo pacto, verba nocere ſolent.*

( Propertius Eleg. 19. lib. 2. )

XXVIII. Denique aſſentior Clariſſimo Reimaro, qui opinatur, ideo volam ſiniſtræ manus extra converti a muliere, ut ſignificet, ſe reliquos amatores omnes, omnia jucunda & præclara viro poſthabere, ac præ illo contemnere. Eſt enim geſtus dimittentis & repellentis. Eodem fere pacto, Marſyæ geſtum ( quem Satyrum victum ab Apolline veteres manu ſublata effingebant ) ita explicavit Horatius Sat. 6. lib. 1. v. 121. tamquam ſi Marſyas arcere vellet ac repellere Novium quemdam, peſſimum fœneratorem; ut elegantiſſimus Dacerius eum locum recte interpretatur.

— — — *Qui ſe* ( inquit Flaccus )

*Vultum poſſe negat Noviorum ferre minoris.*

XXIX. Amor duas corollas floreas capiti regis & reginæ imponit; quod puto explicatione

non

non indigere. Alas autem vel non habet, vel certe abſcondit; ut oſtendat, conſtantem ac perennem inter conjuges benevolentiam futuram, nullamque animorum levitatem. Huc ſpectant verba Propertii Eleg. 12. lib. 2. ubi de Amoris imagine:

*In me tela manent, manet & puerilis imago:*
*Sed certe pennas perdidit ille ſuas.*
*Evolat heu noſtro quoniam de pectore nuſquam.*

XXX. Sed neque conchæ ipſæ in frontibus harum tabellarum, nuptiis Ptolemæi ac Berenices non conveniunt. In paludibus Indorum conchylium quoddam naſcebatur odoratum, cui nardus, frutex ibi frequentiſſimus, alimentum dabat. Ejus conchylii teſta utebantur veteres ad unguenta ſervanda; onychem vero appellabant ob ſimilitudinem. Horatius Ode 12. lib. 4.

*Nardi parvus onyx eliciet cadum,*
*Qui nunc Sulpiciis accubat horreis.*

Idem Ode 7. lib. 2.

-- -- -- *funde capacibus*
*Unguenta de conchis.*

Conſulendus ad utrumque locum doctiſſimus Dacerius. Atqui Coma Berenices apud Catullum, jubet, nuptas mulieres a maritis male habitas, in poſterum ſibi, tamquam Deæ, liquores odoratos ex onyche, ſeu concha ita vocata, libare; ſi tamen ipſæ caſtæ fuerint: ut maritalem concordiam ab illa impetrent. Audiamus Catullum v. 79. Elegiæ ſæpius memoratæ:

*Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda*
*Non poſt unanimis, corpora, conjugibus;*
*Tradite, nudantes rejecta veſte papillas,*
*Quæ jucunda mihi munera libet onyx:*
*Voſter onyx, caſto petitis quæ jura cubili.*

XXXI. Omnia, σὺν θεῷ, jam explicavi, & hi-

hiſtoriæ a me propoſitæ accommodare ſingula ſtudui. Conjecturam eſſe fateor, ſed conjecturam ejuſmodi, quæ fortaſſe difficilius evertatur quam ſtabilita ſit. Nam, ut ait Cicero in Partitionibus Oratoriis, *veriſimilia partim movent ſuo pondere, partim etiam ſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen quum ſunt coacervata, proficiunt*. Judicium tamen doctioribus & acutioribus libentiſſime permitto.

---

## CONCLUSIO
## CARDINALIS QUIRINI.

*An jure, & merito Oedipum nuncuparim Athenæi Patavini Profeſſorem tam docte, tam acute, tam ſolide de argumento pluſquam Cimmeriis, ut ita dicam, tenebris circumfuſo diſſerentem, veſtrûm modo erit, Viri Clariſſimi, arbitrari. Ego quidem, cui in præſens contigit Divinationis hujus revera ſingulos apices penſitare, ut, quoad fieri poſſet, nulla typorum labe fœdaretur, quo crebrius illa oculos meos ſubiit, eo ad majorem admirationem eruditionis, nullis, ut mihi viſum eſt, finibus circumſcriptæ, traduci me ſenſi. At quod Vobis de hac re viſum fuerit, oraculi inſtar, ut jam profeſſus ſum, venerabor. Antequam vero Epiſtolam iſtam concludam, ſinite, ut judicium veſtrum expoſcam pariter de ambagibus, in quas Jo: Rinaldum Carlium, Profeſſorem alium Patavinum, qui ante paucos menſes librum edidit, ſingulari & ipſum eruditione refertum, cui titulum fecit,* Della ſpedizione degli Argonauti in Colco, *conjeciſſe ſentio hujus expeditionis epocham, dum levis ponderis exiſtimavit, quæ ipſe ad eandem illuſtrandam jam tradideram in libro,* Primordia Corcyræ *Edit. Brix. pag. 49. & 50.*

*Ibi*

*Ibi enim adnotavi, vexatam adeo inter veteres, recenteſque Chronologos de ea celeberrima epocha controverſiam plurimum lucis accipere ex Alcinoi, Corcyræ Regis, & Aretæ, ejus conjugis, ætate; quoniam hi ipſi Principes, quemadmodum ex Homero Ulyſſem poſt Trojæ excidium, ita ex Apollonio Rhodio, Argonautas e Colchide reduces, ſua in inſula exceperint. Inde enim neceſſario conſequi affirmavi, epocham Trojæ captæ paucis tantum annis abfuiſſe ab Argonautica, nec diſſimulavi me haud parum mirari, eximium eorundem Chronologorum par, Joſephum Scaligerum, & Dionyſium Petavium, poſtremam hanc magno ſtudio inveſtigantes, ad alia omnia animum convertiſſe præterquam ad Alcinoi, & Aretę ętatem; qua tamen ad illam ſtatuendam certius nullum momentum afferre potuiſſent. Momentum ad eam intra certos limites figendam a me omnium primo (quod ego quidem ſciam) in medium allatum & expenſum Carlius (comiter, ut reor, tacito meo nomine) abjudicavit, atque rejecit, ita ſcribens pag.* 132. Se a tempo d'Uliſſe, che vale a dire, diec' anni dopo l'incendio Trojano in circa, Alcinoo ed Arete ſua moglie erano proſperoſi a ſegno di vigilare le intere notti per udire le favole dell' oſpite loro; ma ciò ch'è più oſſervabile con una figliuola nubile di quattordici anni in circa d'età, la quale era Nauſicaa, come mai di già ammogliato colla ſteſſa Arete, e di già avanzato in età, poteva egli eſſere Alcinoo ſettanta ſette anni prima, cioè a dire nell' anno della Spedizione Argonautica, che avvenne 67. anni avanti l'incendio di Troja? *At quibus fundamentis illud ſexaginta ſeptem annorum, quod ipſe ſtatuit inter utramque epocham, intervallum innitatur, ex ipſo Carlio accipite pag.* 67. Conchiuderemo alla fine, che s'è vero che Medea andò in Atene 11. anni dopo la Spedizione, e che in que-

queſto tempo Teſeo ne avea 16. d'età; allor quando queſto avea 5. anni s'intrapreſe la ſpedizione per Colco. Innoltre ſe Teſeo al 22. anno di ſua vita iſtituì l' agone Iſtmico 50. anni prima dell' incendio di Troja, ne ſeguirà che Teſeo ſia nato 72. anni prima di detto incendio, e che per conſeguenza 67. corſi ne foſſero dalla ſpedizione Argonautica.

*Vos ego appello, Viri Clariſſimi, quorum maxima eſt de antiquiſſimis hujuſcemodi rebus judicandi poteſtas, num iſta chronicarum notarum coacervatio figendæ epochæ, de qua agitur, tutius, atque firmius præbere valeat adminiculum, quam apertiſſimum Apollonii Rhodii teſtimonium, cui profectò ſingularem confert auctoritatem & Scriptoris vetuſtas, & diligentia ab hoc adhibita in Poemate ſuo contexendo, quà ſcilicet iſte cavit, ne Criticorum morſibus pateret; unde a Longino* περὶ ὕψυς *appellatur* ἄπτωτος, nuſquam lapſus. *Fœde prorſus lapſus fuiſſet, ſi quo tempore Argonautæ Corcyram adierunt, imperitaſſe ibi Alcinoum, & Aretam prodidiſſet, Homero utique contradicente, quippe qui ab hiſce exceptum in ea inſula tradit Ulyſſem, & quidem (ut pro certo haberi vult Carlius) 77. annis poſt Argonautarum adventum. Fœde, inquam, quin Carmini ſuo gratiam ullam conciliaret eo commento, & quin etiam ſibi ullo modo ſuffragaretur Ariſtotelis effatum a ſe recitatum*, Lo Storico narra le coſe, come ſono, ma il Poeta, come potrebbero eſſere; *nam contra, Carlio ipſo judice, nullo pacto accidere poterat, ut Argonautæ Alcinoum, & Aretam Corcyræ imperantes nanciſcerentur. Quis non videt, Apollonio nihil facilius fuiſſe, quam aliorum ab illis Principum nomina comminiſci, ne ſua narratio Homericæ, ſibi utique compertæ, auctoritate everteretur, indeque fabulis adſcriberetur vel ipſe Argonautarum in eam inſulam adventus. Quum igitur*

*ille Alcinoum, & Aretam, potius quam alios, in ſcenam induxerit, exiſtimare debemus, id ab eo factum, ut Homericæ narrationis veſtigiis inſiſteret; quandoquidem ſibi conſtaret, ita breve temporis, quod inter utramque epocham excurrit, fuiſſe intervallum, ut facile pateretur, eoſdem omnino Principes, antea Argonautis, deinde Ulyſſi liberali hoſpitio ſua in inſula excipiendis paratos ſe exhibuiſſe. Itaque in hac quoque controverſia dijudicanda, erit mihi magnus Apollo Cœtus iſte veſter; qui utinam tanto me dignaretur honore, ut ad alia quamplura reconditæ eruditionis capita, quæ in meo illo libro ſuperius memorato diſcutienda ſuſcepi, oculos, ſi quando otium ei fuerit, converteret, ut judicium ſuum de iiſdem pariter interponeret. Unum hic tantum indicabo, quod ſpectet & ipſum ad Argonauticæ expeditionis epocham; locum ſcilicet, quo apertiſſime demonſtravi, vehementer hallucinatum fuiſſe Iſaacum Newtonum, dum Sphæræ Mechanicæ inventionem Nauſicaæ Corcyrææ tribuit, indeque eam epocham figi poſſe affirmavit; idque ex Anagallidis, quo uſus eſt Suidas teſtimonio; quod tamen de ſphæra ludicra accipiendum eſſe, meridiana luce clarius innoteſcit.*

*Valete, Viri eruditiſſimi, iterumque valete.*

Romæ die XVIII. Octobris MDCCXLV.

**F I N I S.**

MAG 201X,048

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E.
ROMA